



641



U. I. JUN 2004

4383

IMP. MED

REV. 10/04

52360

52360

344.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

MEDICO - PRACTICA

DE

HÆMORRHAGIIS

QUAM ANNUENTE

INCLYTA FACULTATE MEDICA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PRO

DOCTORATUS LAUREA,

SUMMISQUE

IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

THEODORUS

SZKROCHOWSKI,

POLONUS LEOPOLIENSIS.

DISPUTABITUR

MAGNO UNIVERSITATIS PALATIO.

Hora Die Mensis Januarii Anno

MDCCLXXXIV. 1714


V I E N N Æ,

TYPIS MATHIÆ ANDREÆ SCHMIDT.

SERENISSIMO PRINCIPI
A D A M O
DUCI IN KLEWAN ET ZUKOW
CZARTORYSKI,
IN EXERCITU CÆSAREO - REGIÆ ET
APOSTOLICÆ MAJESTATIS REI
TORMENTARIÆ
GENERALI,
TURMÆ NOBILIUM PRÆTORIANÆ
GALLICIENSIS
PRIMARIO CAPITANEO,
UNIUS LEGIONIS CATAPHRACTORUM
PROPRIETARIO,
TERRARUM PODOLIÆ
PRÆSIDI GENERALI,
ORDINUM AQUILÆ ALBÆ, ET SANCTI
STANISLAI IN POLONIA,
TUM
SANCTI ANDRÆÆ IN RUSSIA
EQUITI
&c. &c.

SERENISSIME
PRINCEPS!


*D*iu hærebam dubius, diu mecum ipse luçtabar, an oportuna hac occasione, dum in Vindobonensi Urbe commorares, proficere deberem? an studiorum meorum primitias TUO SERENISSIMO NOMINI sacras desiderarem? temeritatis enim me ægre posse absolvi, quod tanta petere aude-



*rem, utpote nullis TIBI meritis
notus, nullo alio TIBI devictus
NOMINE, nisi quod & Patriæ
TUÆ sim Filius, me latebat mini-
me; verum BENIGNITATIS TUÆ,
TUÆ CLEMENTIÆ exempla in-
numera erga Patriam, ejusque
Cives, atque insignis in omnes
scientias TUUS amor in spes non*

fal-

fallaces animum erexere. Fa-
teor profecto, opusculum hoc
tenuē, nec Tuo, quo superbit,
NOMINE dignum, siquidem illas,
quibus coronaris Virtutes eo
complecti frustra adlaborarem;
& si illa Virtutum, quibus splen-
des, copiosissima ornamenta lon-
giori sermone prosequi molirer,



*nil novi , nihilque incogniti me
dixisse putarem. Quam felicem
me dicent Consortes Patriæ meæ,
quod mihi ex illorum gremio
sub SERENISSIMI NOMINIS TUI
splendore in Palæstra Doctōrum
progredi licuerit , dum Viennæ
adesse ! quantas mecum TIBI
gratias non agent Parentes mei !*

equi-

*equidem quam magna hæc sint,
Et quo me obstringant officio
novi optime ; ast cum paria,
dum vivam, neque a longe re-
ferre queam, reliquus TIBI so-
lus est gratissimus meus animus,
qui uti quotidie omnem piis vo-
tis felicitatem præcari consuevit,
denuo eadem renovat vota, sem-*

perque iis sincere insistere polli-
cetur **TUUS**

SERENISSIME PRINCEPS

SERVUS DEVINCTISSIMUS

THEODORUS SZKROCHOWSKI.

PRÆFATIO.

Pari deliciarum campo irretitus, cuinam potissimum Medicinæ parti meos consecrarem labores, diu hærebam dubius; copia equidem argumentorum laborabam, inopia minime; durum tamen accidebat manum admovere operi, dum volverem animo plurimas, ne dicam omnes, scopo huic jam adhibitas fuisse materias; sed dum mecum pensitarem malos, qui

P R Æ F A T I O.

qui a nimio sanguinis profluvio sequuntur effectus, utpote primarii, summeque necessarii ad humores omnes bonos parandos ablati instrumenti, temperare mihi haud potui, quin HÆMORRHAGIAS pro viribus pertractandas susciperem; equidem non me fugit plura sapientum Virorum, quorum laudes impari calamo non attingo, de his exstare scripta, tum gravibus in praxi momentis, tum casibus illustrata curiosis; nec tamen me latet, ea vel ita esse sparsa, vel ita comparata, quæ in Medicinæ Tyronum usum difficilius cedere possint, quorum multum interest

ea,

P R Æ F A T I O.

ea, quæ ad rem faciunt uno quâsi intuitu posse lustrare; hinc factum est, ut quæ hac in re dilucida magis reperi, quæ in commodum meum ex Collegiis Cl. meorum Professorum, atque visis observationibus, aliisque præstantissimorum Virorum libris sparsim collegi, chartulis hisce Tyronum in commodum congefferim, eorumque intellectui majori, qua mihi licuit perspicuitate, accommodarim: non est materiæ novitas fateor, sed curatior fortasse proponendi ratio, quæ laborem meum, nî animus fallit, non omnino reddet improbabilem. Ne autem
ultar

P R Æ F A T I O.

ultra dissertationis fines hocce meum turgesceret opusculum, ita rem institui, ut primum de HÆMORRHAGIIS in genere, tum de iisdem in specie singillatim differerem.

Quare si hæ laborum meorum primitiæ Doctis non displicuerint, & Tyrones emolumentum quid ceperint, mihi ipse gratulabor.



DE
HÆMORRHAGIIS
IN GENERE.

§. I.

Vocis Etymologiam spectare si ve-
lis, sanguinis profluvium copio-
sum cum impetu, quacunque ex parte
id contigerit, *Hæmorrhagia* notat; mos
quamvis obtigerit pro quocunque san-
guinis effluvio ut sumeretur; siquidem
Ἀιμορραγία optime derivari videtur ἀπὸ
τῆς αἵματος δέ ραγῆναι quod vocabulum
ex Galeni sententia apud Hippocratem
idem significat, quod *ἀδρως ὄρμῶν*: cum
impetu & confertim prodire; quoniam
A dum

dum sanguis modicus & sensim effluit ἐρρησίην vocavit Hippocrates, aut lene stillicidium dixit *σαλαγμὸν* (a).

Quare & Recentiores sanguinis paulo copiosorem fluxum, sive is præternaturalis aut etiam naturalis fuerit, modum tamen excedens, *Hæmorrhagiam* appellare consueverunt.

§. II.

Varia Authoribus Hæmorrhagiæ statuitur divisio, petita vel a vasis, unde *arteriosam* aliam, dum ex arteria, calidus, rubens, subtilis cum spuma, & impetu exilit, aliam *venosam* dicunt, ubi crassior, nigrior, neque cum impetu se manifestat sanguis, (b); atque hæc partiuntur utramque in *spon-taneam*, vel *artificialem*, *criticam*, vel *symptomaticam*, *internam*, vel *exter-nam*; vel a vario modo, quo solet fieri; siquidem quando sanguis per ultimos arteriarum fines quacunque accedente vi dilatatos exprimitur, ac veluti exsudat, per *Αναστομοσίην* fieri affir-mant

(a) Goræ. defin. medic. p. 16.

(b) Joh. institut. de Hæmorrh. nar. p. 420.

mant Pathologi ; Aretæus *αραιωσις* nomine ad hoc idem significandum est usus, quod & rarefactionem & relaxationem significat (c) ; aut, si magis resistunt fines ultimorum vasculorum, sanguis, per minima fibrarum interstitia, soluto illarum longitudinali nexu, ita ut rima fiat, elabatur, quod per *διαπήδησιν* fieri vocant ; aut, si motus a tergo violentior vascula alioquin imbecillia urget, ruptis plane fibris non longitudinalibus solummodo, sed & circularibus, impetuosior effugit, *διηρησι* dicunt ; vel, si præter naturam acer humor vasa obsideat & illorum erosio membranis prorumpit, *διαβρῆσιν* nominant ; aut demum si ex soluto per externum vulnus vasculo sanguis effugit, *ρήξιν* dixere (d) ; Celsus autem monuit (e) *ρηγμασμύν* appellari, sive hiatus rupti vasis.

Verum quonam, ex mox recensitis, modo Hæmorrhagia sit orta, cognitu haud adeo est facile, nisi simul

A 2

omnia,

(c) Aræt. de caus. & sign. morb. acut. lib. 2. c. 2. p. 451.

(d) Ibid. p. 13. & Galen. de usu part. 1. 7. cap. 3. T. 4. p. 451.

(e) Cels. 1. 4. c. 4. p. 103.

omnia, quæ eandem prægressa fuerint, quæve hanc concomitantur symptomata, ægri præterea temperies, victus regimen, ac vitæ norma, vires vitales superstites, sanguinisque ejecti non minus quantitas, ac quantitas ipsa ad amissim scrutentur.

Sed præter mox spectatas divisiones, a parte quoque, a qua sanguis profluit, Hæmorrhagiam partiuntur in eam, quæ *Narium* est, *Oris*, *Pulmonum*, *Ventriculi*, *Intestinorum*, *Ani*, *Viarum urinariarum*, *Uteri*, quas etiam singillatim postmodum percurram.

§. III.

Rationalem Stahliani animam hæmorrhagarum pro causa assignant, quæ dum nimiam sanguinis copiam, aut corpori noxiam pravam qualitatem nosceret, prudenti consilio, deliberatione, atque instituto supervacaneam, aut noxiam sanguinis partem dilatato, vel rupto sanguifero quodam vase, aut pluribus simul, ex corpore expelleret, illudque a nimia copia, vel vitioso etiam sanguine, noxisque inde metuendis

endis sic liberaret. Verum præterquam, quod consilii hujus, hujus cognitionis anima ægri sit prorsus ignara, si a prudentia illius hoc dependeret negotium, evacuationes hujusmodi semper per tuta loca, per loca securiora, qualia nares, hæmorrhoidalia, aut uterina vasa, contingerent; at cum sæpe in pulmonibus, ventriculo, renibus, vesica fiant, atque inde ægri haud raro brevi tempore, imo paucis quandoque horis pereant, aut in vitæ periculum, aliumve morbum periculosissimum, ut pulmonum ulcera, ulcera renum, saltem inde conjiciantur; potius crederem, copia, motu, aut acrimonia peccantem sanguinem, atque cordis vi pressum, vasa plurimum distendere, expandere, tum ob rationes mechanicas, perrumpere, aut erodere, ubi in hoc illove corpore forte debiliora, minusve resistentia deprehenduntur; atque adeo in his per pulmones, nares, ventriculum, renes, per vesicam &c. in aliis sanguinem effundi lugemus. Stultissima profecto anima foret, quæ dum posset per tuta loca, minime expelle-

ret sanguinem, & consulto periculosa, ne periculosissima dicam, eligeret: equidem si ab illius arbitrio, atque dierectione dependeret, sapientes per secura loca, & ubi sanguinis fluxus minimum, aut etiam nullum incommodum produceret, sanguinem abundantem vel noxium juberent effluere; ubi tamen vel in sapientissimis, imo in ipsis Medicis, qui satis noxium didicerunt, atque intelligunt, hæmorrhagia in locis periculosissimis in vitis iisdem videmus contingere; quamvis anima illorum vellet, ac optaret, ut per nares, vel per intestinum rectum sanguis excerneretur, qui tamen per pulmones, ventriculum, renes, aut vesicam sæpius expellitur; verum quantopere omnibus etiam suis viribus anima velit hæmorrhagias periculosas, in loca minus periculosa dirigere, aut relegare, præstare id nequit, quod non autochyros lugeremus, si tale imperium in humores haberet anima? quare verosimilius videtur, eas in machina nostra corporea ex causis mere physicis contingere, vimque cordis fortuito per-rumpere vasa, torrentis more, oras, aut

aut aggeres suos debiliores evagantis, quæ in hoc illove homine debiliora forte habentur, Celsus siquidem jam dudum monuerat; experientia idem quotidie confirmante, nullum hominem haberi, cui præ cæteris debilior pars quædam non foret.

§. IV.

Melius Recentiores hæmorrhagiarum omnem causam in eam, quam *proximam*, atque illam *remotam* quam dicunt, partiuntur; quarum ultimam in eam, quæ corpori inhærens προϋϋμενη sive *prædisponens* ad suscipiendum morbum dicitur, & προ αταρκτική *excitantem* seu *occasionalem* nuncupatam, segregant.

Proxima hæmorrhagiæ causa in vasorum quacunque ratione facta dilatatione, ruptura, aut erosione, atque majori ad partem quandam affluxu sanguinis ponitur.

Prædisponens vasorum affecti loci, seu illa nativa, seu adventitia fuerit, ob malam diætam, prægressos morbos,

aut. ob aliam quamcunque rationem laxitatem agnoscit.

Præsupposita jam hac vasorum certæ alicujus partis laxitate, quidcunque vasa hæc debilia rumpere, aut etiam, nulla facta continui solutione, dilatare, aut erodere valuerit, *excitantis* causæ sortitur nomen; quæ in ipso sanguine latere videtur; in sanguine varia quantitate peccante, aut etiam qualitate varia; sic sanguine nimio, sanguine orgasmico, dissoluto, tenui, acri, vel vero nec quantitate, aut qualitate culpando, attamen determinato in hanc partem potius quam aliam quamcunque, quod autem varia fieri ratione conluevit; fit enim vel a stimulo heterogeneo quovis residente in ipsa affecta parte & alliciente affluxum, vel vero ab impetu humorum majore ad datam partem ruente, qui peragitur per motum humorum universalem, vel per imminutum aliorum e. g. ob spasmodum, aut obstructionem ibidem commorantem; siquidem spasmus partis coarctans vasa, sanguinis mole non imminuta, imminuto vero illius spatio, copiosius in partem deliorem minusque

resistentem ruit, urgeturque, & ejus vasa, si impetui resistere minus valeant, vi sua dilatat, aut dirumpit; pari ratione obstructio alterius partis, manente nihilominus eadem humorum quantitate, efficit, ut major humorum copia majori cum impetu partem debiliorem petat, ibidemque utpote in loco resistente minus, per vasa erosa, rupta, aut dilatata sibi quærat exitum.

Atque huc redit omnis omnino hæmorrhagia, ex quacunque demum causa nascatur, seu id fiat a plethora, seu a diætâ calefaciente spirituosâ, acri, motu corporis, aut animi affectu nimio; seu febre languinem orgasmicum reddente, seu ex acrimonia varia, scorbutica puta, variolosa, petechiali, pestilentiali, atrabilaria, erysipelatosa, scabiosa, venerea, epidemica, quacunque demum specifica in hominibus ad fluxum sanguinis prædispositis, debilioribus, sensibilibus, ad motus spasmodicos pronioribus, viscera obstructa habentibus, evacuationibus sive naturalibus, sive per consuetudinem inductis, a quacunque causa suppressis,

fluxus menstrui puta, lochiorum, hæmorrhoidum, tum & intermissæ, sed familiaris quibusdam hominibus seu venæ sectionis, seu scarificationis, hyrudinum, aliarumve plurium.

§ V.

Effectus jam varios spectare convenit, ut quid boni, malive inde expectes, innotescat; horum autem *salutares* nosco alios, *morbosos* alios; pone enim in homine plethorico hæmorrhagiam moderate contingere, nullam noxam, sed egregium ut plurimum corpori adferet emolumentum, multos siquidem a plethora alias oriundos morbos omnimode præcavet, alios jam factos minuit, aut etiam tollit; quare sub quiete & moderato victus regimine sibi relinquenda, & non nisi insignis debilitas id exigat, remediis cohibenda; quid? quod & per hæmorrhagias subinde crises fiant? equidem haud raro accidit, ut dum præmature sistitur hæmorrhagia, gravissima sæpe mala, cum primis vero loci alterius hæmorrhagiæ inducantur,
aut

aut alii enormes dolores. Veruntamen immoderata si fuerit, corpus non modo vitali sanguine defraudabitur, indeque jactura virium una & circulationis, unde pallor, frigus, omnium actionum languor, imminutio omnium se- & excretionum, atque inde læsa digestio, cylificatio, sanguificatio, nutritio læsa, collectio saburræ, solidorum debilitas, aquosi humoris accumulatio, accumulatio humoris pituitosi, unde leucophlegmatia, cachexia, chlorosis, hydrops, hæctica, liquidi nervei defectus, atque adeo sensuum omnium hebetudo & musculorum languor, & his pejora mala procreabuntur, quæ si nulla arte sistenda foret, mortem inducet inevitabilem, mortem ob humorum penuriam.

§. VI.

Quænam Prognosis sit facienda, quinam obtineant canones in quavis ferme hæmorrhagiæ specie, spectare juvat, ne forte intempestive seduli hæmorrhagiam utilem, criticam & salutarem cohibeamus; aliam forte cito
 sup-

supprimendam sibi metipsi & naturæ male committamus. Quare prognosim facturus Medicus ad copiam præprimis, & qualitatem rejecti sanguinis, causam hæmorrhagiæ, temperiem, viresque ægri, atque symptomata attendat oportet, etenim pro varia horum conditione, varium itidem est iudicium ferendum.

Certum est equidem, hæmorrhagiam, quæ in homine plethorico moderate contingit, nil mali prædicere. Hæmorrhagia puerorum minus, quam juvenum, horum minus, quam senum nocet, diu sibi permitti potest, & sæpissime est salutaris priorum, ubi posteriorum, periculosior utpote, celeriore opem requirit. Quæ aliarum sanguinearum evacuationum vices gerit, etsi non negligenda, non tamen peritescenda adeo; hinc quæ suppressis catameniis, vel hæmorrhoidibus supervenit cum augmento virium, & fuga aliorum symptomatum prius præsentium, salutarem præfagit eventum. Magis timenda quæ a sanguine dissoluto originem trahit, quam illa quæ bono præsentente sanguine oritur; atque

adeo pessimi ominis hydropicorum, malignis variolis, & petechiis ægrotantium, quoniam a putrida sanguinis dissolutione ut plurimum originem ducit; pejor igitur in cachectico, scorbutico, venereo, cancroso, quam aliis cæterum bonæ temperiei hominibus. Male si illis succedat animi deliquium, convulsio, singultus, delirium, pallor faciei, & labiorum, extrematum corporis partium refrigeratio, pulsus tremulus: copiosiores, sed diu durantes, hydrops excipere haud boni moris consuevit.

§. VII.

Proximum est ut & generalia quædam omnibus hæmorrhagiis curandis conducentia in medium proferam, ad speciales dein hæmorrhagias gressus facturus. Omnis autem in hæmorrhagiis indicatio ad sequentia capita reduci potest: primo oportet plenitudinem minuere, impetum moderare, & elelrevre; quod præstat venæ sectio in pede, aut brachio pro re nata instituta, nisi jam tantum sanguinis abierit,

rit, aut abiturum videatur, ut hac celebrata nimia fieret humorum jactura; hinc rariores paulo videntur hæmorrhagiæ, quæ venæ sectiones revulsorias expetant, cum potissimum tales pleræque sint, ut nimiam eæ solæ humorum penuriam inducant: pediluvia, verum ea tantum tepida sint, siquidem calida rarefaciunt, atque incitant humores, & solo suo calore fortasse jam imminutam, consopitam fortasse, & jam compressam denuo resuscitent: clysmata emollientia, dein leviter irritantia, nisi ibidem fuerit sanguinis fluxus, ut sic partes inferiores enema irretet, ideoque majorem ad has alliciat humorum copiam: potus acidiusculi, nitrosi, oxycratum interne, & externe forma epithematis loco ipsi, aut illius vicinæ applicatum; quies corporis, animique, isque situs corporis, qui hæmorrhagiæ sistendæ conducit; extremorum artuum ligaturæ, ita tamen, ut liber maneat sanguinis per arterias fluxus, is vero qui fit per venas impediatur, minuaturque: indicatur secundo, acrimoniam, si quæ adsit in sanguine, convenienti methodo corrigere; tertio

irritamentum in affecta parte hærens, alliciens sanguinem, hæmorrhagiam sustentans tollere, aut delinire: quarto spasmos, si qui adsint, & ex tali parte excludant sanguinem, atque in viscus debilius aliorum urgeant, conspire: quinto obstructiones, humorum liberiores motum impediens, & ad viscus aliud determinantes referare.

Possem quædam etiam de humoribus incrassandis, de vasis per adstringentia coarctandis commemorare, ne videlicet tam facile elabi humores patiantur; verumtamen ut hæc adstringentia & coagulantia summos habeant in chirurgicis usus, dum loco vulnerato possunt immediate applicari; inutilia tamen, immo & noxia sunt, si interne propinentur, nisi locum affectum immediate attingant; pulchre equidem in rem meam Swietenius, dum asserit: si remedia adstringentia dum sanguini immixta per vasa fluunt, has vires haberent adstringentes, vasa coarctarentur, an non prius constringendo vasa pulmonum minima, mortem inducerent, impedito sanguinis per pulmones transitu, antequam ad
 affe-

affectedum locum pervenire possent, ibique vim suam exerere?

Quaquam methodus in usum recepta, & Medicorum omnium communissima praxis reclamet, certum est nihilominus, adstringentia resorbentibus vasis lacteis prohiberi, atque ab humorum circulantium massa excludi penitus; quod si vero vehiculo multum diluente nihilominus furtim subintrent, metus certe erit, ne proximioribus contractis vasis, sanguinem majori cum impetu repellant, inque partem vulneratam, erosam, dilatatam qua minus resistentem urgeant magis, hinc universim metus est, ne ipsa roborantia, adstringentia, hæmorrhagiam faciant profusorem; neque enim video, cur potius in affectam, quam aliam quancunque partem hæc agere deberent.

De opiatis hic pariter quædam, eaque non levioris momenti adnotabo: novi enim in omnibus, vel plerisque saltem hæmorrhagiis ab antiquissimis jam temporibus celebratum opium; frigidum dicebatur, idque non simpliciter, sed in quarto usque gradu, cre-

deba-

debatur circulum sanguinis minuere, reddere tardiolem, verumtamen illius vis incitans & calefaciens, vis aphrodisiaca, apoplexifera, vis potenter sudorifera abunde est nota, quare indiscriminatim in omni hæmorrhagia non convenire quisque videt; verum eo solummodo in casu ubi hæmorrhagia spasmum alicubi existentem pro causa agnoscit, aut ubi irritamentum quoddam alicubi hæret, quod stimulando affluxum majorem ad eam partem procurat, atque sic vel hæmorrhagiam producit, vel ulteriori ansam præbet; in priori casu fert opem dum, spasmos solvendo hæmorrhagiæ tollit causam; in posteriori vero tanquam remedium pallians, tanquam remedium fibras irritatas aliquantum consopiens, usque dum stimulus radicali cura auferri possit, quod suo loco innuam.

His præmissis, utpote cuique hæmorrhagiæ convenientibus, ad specialem earundem pertractationem progrediar, initium a narium hæmorrhagia sumens, ad alias aliarum partium postmodum deventurus.

HÆMORRHAGIA NARIUM.

§. VIII.

Ubi hæmorrhagiæ simpliciter occurrit nomen apud Hippocratem, nulla partis, ex qua erumpit, facta mentione, illam omnino intelligi, quæ per nares fit, sanguinis eruptionem, monet Galenus. (f)

Cæterum copiosum, & celerem sanguinis e naribus effluxum hæmorrhagiam, at lentum & guttatim factum, *stillicidium narium* vocant Medici. (g)

§. IX.

Præsentem narium hæmorrhagiam facile cognoscimus, eamque a stillicidio distinguimus; verum & species noscendæ, neque minus sollicite indaganda causa, a qua producitur, in quibus attentus etiam Medicus insignem difficultatem deprehendet.

Quamvis

(f) Galen. Comm. I. in 1. I. Epid. T. IX. p. 18.

(g) Ollerdyk Schacht. p. 124. Gorræ. def. medic. p. 16.

Quamvis stillicidium narium ad hæmorrhagias, ut §. I. dicebam, non pertineat; illas tamen dividere solemus in *hæmorrhagiam* strictè sic dictam, seu fluxum sanguinis paulo copiosorem, & in *stillicidium*: 2do in *internam* & *externam*; hæc dum antèrius profluit, illa dum per posteriora narium foramina depluit sanguis; atque id non raro in somno etiam nobis non advertentibus contingit, unde deglutitus sanguis, delatus in ventriculum, grumofus altera die cum nausea sæpe rejicitur, & speciem hæmorrhagiæ ventriculi imponit. 3tio in *spontaneam*, & *artificialem*, ubi videlicet calamo scriptorio, vel alio instrumento internæ nares vulnerantur eo studio, ut sanguinis fluxus concitetur, prouti fit, ubi hæmorrhagia narium antea critica, & salutaris, modo vero intempeltive suppressa fuerat, aut vero sponte emanerat; huic *traumatica* consors est, quæ & *vulneraria* & *violenta* dicitur; quæ a lapsu, ab ictu ad nares accepto, accepto ad maxillas, ad sinus frontales, frontem, totumque caput, a vulnere, a vapore acri attracto, a prægressa validiore

sternutatione: Hæmorrhagiæ hujus species sanguinem dimittit ex ipsis narium vasis, vel vero vasis sinuum in nares apertorum, aut ex ipso encephalo in calu graviore, ubi sanguis hanc sibi parat viam: 4to in *criticam*, quæ cum morbi decremento, & *symptomaticam*, quæ ejusdem exasperationi associatur. 5to in eam, quæ a *vicio* quodam *topico* narium, ulcere puta, ozæna, cancro &c. narium, originem ducit: 6to. in *plethoricam*, ortam ab humorum nimia quantitate in toto corpore, aut superiorum tantum partium, præprimis capitis, in infantibus, in juvenibus, in laute pastis, ortam ob caput propendens, & collum arctius adstrictum, ob vestes paulo arctiores, ob studium nocturnum nimium; novimus siquidem nimium studium sanguinem ad caput allicere, atque adeo narium hæmorrhagiæ dare ansam; huc etiam illa pertinet, quæ in laborioso partu contingit, a nimio nisu, conatu nimio, quæ subinde in iis observatur, qui alvo duriore laborant, quæ a tussi violenta, a nimio conatu adhibito in elevando pondere oritur; dum enim abdomina-
 lia

lia viscera valide ita comprimuntur, fieri non potest quin earum partium sanguis in venas subterfugiat, indeque ad cor delatus pulmonem majori quantitate oneret; verum cum nunc pulmo obrutus sanguinem difficulter, & minori copia transmittat, cor dextrum se perfecte evacuare recusat, atque adeo intra datum tempus, neque tantam sanguinis copiam, quantam antea, recipere potest, quare nec venæ sanguinem a capite revehentes sufficienter in venam cavam evacuare se valent, hinc majori quantitate accumulatus manet sanguis in venis faciei, qui, ubi minorem invenit resistentiam, se subducet, unde si hæc vasa præ cæteris fuerint debiliora, vel novo sanguine continuo accedente nimium dilatata, aut materia acri peccante erosa, sæpe per nares prorumpet sanguis: ad plethoricam hanc hæmorrhagiam illa quoque reduci potest, quæ fit a spirituosiss, stimulantibus, aromaticis, humores orgasmicos reddentibus, a validiori quocunque corporis exercitio, labore nimio, saltu, cursu, equitatione, lucta, ab ira, aut alio validiore affe-

Etu animi : 7mo in *abdominalem*, quæ oritur a vitio solum existente in abdomine, quæ & *gastrica*, aut etiam *visceralis* compellari potest; hæmorrhagia puta narium ab intestinis convulsis, multa sæce turgentibus, a liene, hepateve obstructo, aut prægrandi vicina viscera comprimente, hæmorrhagia a menstruis, hæmorrhoidibus, aliisque solemnibus evacuationibus suppressis, a tumoribus in abdomine natis, a tympanitide, hydrope, prægrandi ovario, bile abdomen obsidente; quamvis hæc species ad mox recensitam accommodare reduci possit; fiet quidem plethora non universalis corporis, at superiorum saltem partium, capitis præprimis : 8vo in *febrilem*, qualis observari solet in febribus inflammatoriis universalibus, & cum topica visceris cujusdam affectione, in febribus variolosis, malignis, petechialibus, 9no in *periodicam*, ubi statuto tempore per nares evacuari sanguis consuevit, & plerumque uterinæ fluxionis, aut fluxus hæmorrhoidalis, vel solemnis alicujus evacuationis vices agit.

§. X.

Causas hæmorrhagiæ narium absolvunt ea, quæ de hæmorrhagiis in genere § IV. adferebam, tum ea, quæ variam ejusdem speciem constituunt, in quibus describendis mox detinebar.

§ XI.

Non eundem semper habet eventum, salutarem sæpe, subito etiam nonnunquam lethalem, quæ quidem diversitas pendet, ut & § VI. monebam, tum a copia, qua fluit, tum a causa a qua producitur, tum etiam a morbis, quibus supervenit, tum denique a tempore, quo succedere nonnullis morbis observatur. Certum est sæpe ægros a gravissimis malis per narium hæmorrhagiam liberari, a cephalæa puta, vertigine, apoplexia, convulsione, tetano, viscerum inflammationibus præsertim hepatis, & lienis, quin & sæpe eosdem aliosve morbos præcavere deprehenditur, e contra præmature si sistatur, gravissima sæpe mala, hæmorrhagias

cum primis in aliis locis inducit, vel & inde graviores capitis morbi ortum agnoscunt; sic apoplexia, phrenitis, morbi oculorum, aurium, dentium, faucium inflammationes, tonsillarum, uvulæ, erysipelas faciei, cordis palpitatione, anxietates præcordiorum, respiratio difficilis, pleuritis, peripneumonia, phthisis, febrès acutæ variæ.

Multo periculosior est hæmorrhagia narium senilis cæteris paribus; juvenilis hæmorrhagia narium sæpe tabem prævertit, prævertit hæmoptoen iis præcipue, qui ad hanc dispositi, angusto thorace, alatis scapulis, collo longiori, fibra tenui, & delicata donantur. Mala est post lapsum ab alto, non ut causa; etenim sic prodesse etiam posset, sed mala est ut signum, vasa enim alicubi intra encephalon forte læta, & sanguinem extravasatum notat. In febre acuta vix non semper bona, propriumque dixit esse febribus ardentibus exquisitis per narium hæmorrhagiam judicari Galenus (*h*); sed in febre putrida, maligna, hydrope vix non semper mala; vidi tale exemplum
in

(*h*) Comen. I. in Epid. II. T. 9. p. 18.

in Juvene Nro. 15. in Nosocomio SS. Trinitatis febre putrida detento, narium hæmorrhagiam lethalem, neque ulla ratione internis, & externis omnibus laudatis medicamentis a Cell. meo Praxeos Professore Maximil Stoll in auxilium vocatis, sistendam; quem ex Keneangea demortuum lectio cadaveris docuit: tale quid ibidem vidi in hydropico Nro. 14. decumbente, qui etiam oborta narium hæmorrhagia occubuit. Ubi ex naribus effluxit sanguis, & totius corporis persfrictio cum tenuioribus sudoribus subsequitur, morbi malignitatem denunciat. Mala, cui succedit convulsio, singultus, delirium, frigus extremorum. Aræteus (i) de pleuritide agens, postquam enumeravit illa, quæ contingunt morbo in perniciem tendente, subjungit: *at si in melius vergat, sanguinis e naribus eruptio cum impetu, tumque repente morbus soivitur.*

B 5

§ XII.

(i) De caus & sign. morb. acut. l. I. c. 10.
pag. 9.

In cura narium hæmorrhagiæ serio perpendendum, an illa vere sit cohibenda, an minus, ne graviora mala, quæ superius mox dicebam, hæmorrhagiam hanc, forte salutarem, & criticam, sed intempestiva sedulitate consopitam, insequantur: optimum erit igitur *criticam* a *symptomata* bene distinguere; si quidem priorem relinques, moderaberis, aut juvabis; ubi vero semel constiterit *criticam* minime esse, non esse salutarem, ad arma recurre, eidem ut ponas objicem.

Fit autem critica prægressis signis coctionis, & criseos, die judicatorio; cujus autem signa ita complexus est Hippocrates (k). *In ardentibus cæterisque febribus, quos colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, vel hypochondrii etiam contentio non cum dolore corripit, his e naribus sanguis profluit; item (l) in alio loco: Quibus vero in ejusmodi febre (non lethali) caput dolentibus, pro tenebris ante oculos*
ap-

(k) Epid. comm. 2. text. 55.

(l) Idem in progn. l. 8. p. 682.

apparentibus visus hebetudo contingit, vel splendores observantur, & pro oris ventriculi morsum hypochondrio sive ad dextra, sive ad sinistra, aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione, illis pro vomitu sanguinem de naribus fluxurum expectandum est; magis autem juvenibus: trigesimum vero annum agentibus, minus: sed his vomitiones expectandæ.

Rubores faciei pariter inter hæc signa numeravit, dicens: *Febricitantibus, quibus quidem rubores in facie, & capitis dolor fortis, & venarum pulsus, his sanguinis fluxio plerumque contingit (m): huc quoque refert, subitam anxietatem cum vigiliis (n), item oculorum rubedinem (o), præterea capitis concussiones, & aurium bombos (p), subitam mentis percussione cum anxietate (q), surditatem (r):* Complexus est quoque immortalis Boerhaavius hæc signa sequentibus: *hæc prænuntiatur:*

(agens

(m) Idem enac. præn. p. 143. T. 8. p. 859.

(n) Ibid. n. 13. t. 8. p. 858.

(o) Ibid. n. 167. p. 861.

(p) Ibid. n. 168.

(q) Ibid. n. 185. p. 862.

(r) Ibid. n. 196. p. 863.

(agens de hæmorrhagia narium) *cervicis dolore, temporum gravitate, tenebrosa caligine, præcordiorum contentione sine doloris sensu, invitis lacrymis sine lethali signo alio, rubore faciei, pruritu narium (s)*. De quibus omnibus notandum tamen, ex his communia quædam esse, vigilias, surditates, tinnitus aurium, quæ cum aliis quidem conjuncta ad præiagiendam hæmorrhagiam conducunt quidem, sed per se propria signa non sunt; notes quoque, signa hæc non semper omnia apparere, sed sufficere, si quædam ex his conspiciantur; quo tamen plura adfuerint, eo certius hæmorrhagiam futuram annunciant; sunt autem præcipua, prægressa coctio, dies criticus, morbus hac crisi solvi solitus; quales sunt inflammationes capitis, hypochondriorum, thoracis, raptus humorum ad caput, unde capitis, cervicis, temporum, & colli gravitas, tensio nu-chæ, visus hebetudo, & caligo, aut splendor oculorum, tensio hypochondrii, difficilis respiratio, narium pruritus, ex quo signo non futuram tantum,

(s) Boerh. de cogn. & curand. morb. §741.

tum, sed jamjam præsentem hæmorrhagiam significari monuit Galenus: juvenis enim æger decumbens quinto morbi die de lecto exilire tendebat, ut vitaret rubrum serpentem, quem adrepentem se videre credebat: obscura quædam rubedo, quæ in dextra nasi parte ad genam usque extendebatur, multo magis conspicua apparebat, unde ex dextra nare sanguinem erupturum concludebat Galenus; jussit autem famulo, ut clanculum vas adferret excipiendo sanguini idoneum, atque sub veste occultaret; paulo post æger indicem digitum prurienti naso immittebat, moxque cruentum eduxit, sequente sanguinis rivo, quem adstans famulus, supposito vase, quod occultarat, excipiebat: præsentem Medicum qui audacem hanc Galeni prognosim riserant, hoc viso pudibundi aufugerunt omnes (t). Hæc autem, quæ hucusque commemorabam signa certiora ad huc erunt, si ætas ægroti, & natura, anni tempestas, anni constitutio eodem colliment; etenim si æger sit adolescens,

(t) Galen. de Prænot. ad Posthum. C. 13.
t. 8. p. 387.

aut juvenis, natura calidus, & sanguine repletus, atque ipsi alias seu sano, seu ægro hæmorrhagia narium familiaris fuerit, æstasque, & constitutio anni calida accesserit, omnia hæc certiora erunt utique, imprimis si & consueta aliqua sanguinis evacuatio sit retenta, & plures tunc ægrotantes hoc modo judicentur.

Verum in acutis morbis larga hæmorrhagia requiritur, ut levetur malum; hinc parcam evacuationem, & proinde stillicidium sanguinis malum, periculosum, & lethale signum esse existimant Medici, idque autoritate Galeni & Hippocratis, rationibusque, quibus illi utuntur, persuasi; ita enim Galenus (u) ad verba Hippocratis: *naresque in his stillantes malum est*: hæc addit. *Excerni pauca in ægris unum quoddam ex signis est, quæ ex toto pravitatem habent; nihil enim eorum, quæ decretoria existunt, exiguum secerni convenit, sed quæ ita evacuantur, omnia duorum alterum subeunt; nam vel quæ non queunt tolerari ob copiam, ab affectis effunduntur partibus:*
vel

(u) 1. Prorrh. comm. 2. t. 47.

*vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ
 proponit quidem superflua excernere, sed
 nequit; tum etiam alio in loco (v) su-
 per verba Hippocratis: nares pauca
 stillantes, hæc habet: hoc in comitibus
 est malignarum ardentium febrium, ut
 sanguinis profluvium leve. Et ut brevi-
 ter dicatur: omnis de naribus stilla pra-
 vum est signum; item alio in loco (w)
 stillasse nares perniciosum est signum, cum
 in aliis, tum maxime in febribus arden-
 tibus; verum contrarium etiam docu-
 isse videtur Hippocrates in Coac. præ-
 not. t. 87. in. codic: Foefii, quæ sen-
 tentia habetur itidem 1. Prorrh. com.
 3. text. 40. Equidem licet parca illa
 stillicidia semper suspecta sint, tamen
 non ita absolute, & simpliciter stillici-
 dium sanguinis e naribus pro lethali
 & malo signo habendum credo; sed
 cautione, & distinctione opus; siqui-
 dem ex materiæ pravitate, multitudi-
 ne, virium imbecillitate, aut his om-
 nibus id accidat, causisque supra ex
 Galeno allegatis, omnino malum si-
 gnum erit; & præcipue si in initio aut
 quar.*

(v) 3. Epid: comm. 3. t. 35.

(w) 1. Epid: comm. 2. t. 75.

quarto die id accidat, ut est in *Coac. præn. t. 179.* & initio *Prorrh.*: aut undecimo ut est in *Coac. præn. t. 337.* & *I. Prorrh. comm. 3. t. 54*: signa enim, quæ criticis diebus, aut prænunciis apparent, firmiora sunt, quam aliis; & proinde si ea mala sunt, talibus diebus sunt deteriora; si itidem sanguis, quo nares stillant, niger sit, merus, ac sincerus, ut *Epid. 1. comm. 3 t. 18.* At si futuræ crisis indicium fuerit, malum signum utique non erit; nam cum morbi acuti judicentur sanguine ex naribus fluente, vel sudore copioso, die judicatorio, ut est in *Coac. t. 150. Epid. comm. 2. t. 63, & 66. Galen. in comm. & 3. de cris: c. 2.*; accidit interdum, ut salutorem hæmorrhagiam præcedat, & significet stillicidium sanguinis, uti factum fuit in *Meteone Epid. l. 1. ægrot. 7. ibid. p. 109.*; cui quarta die bis pauculum sanguinis ex nare dextra stillabat; verum quinta die ex nare sinistra sanguis copiosus effluxit, sudavit, & judicatus est; sed & post judicium crebro adhuc sanguinem erupisse, monetur in ægri ejusdem historia. Ut enim die

ju-

iudicatorio interdum natura quasi se accingit ad sudorem, levemque aliquem sudorem provocat, postea vero die critico copiosius eum propellit; ita etiam hæmorrhagiæ narium quasi prænuncium præmittere possunt narium stillicidium; accidere tamen potest, ut vel ob loci naturam, unde effluit, vel ob partium densitatem, aut aliquam sanguinis crassitiam, sanguis mox copiosius profluere non possit. Requiritur præterea ut coctione prægressa, & die critico fiant; verum enimvero, etsi optimæ sint hæmorrhagiæ, quæ cum signis coctionis, atque in statu ut loqui aulant, accidunt; tamen & illæ, quæ in augmento, vel etiam principio apparent, non semper damnandæ sunt, ut ex allata Meleonis historia patet; stillare utique interdum possunt nares sanguinem, atque exhibere copiosioris hæmorrhagiæ etiam die non decretorio indicium, ubi coctionis signa non præcesserunt; nam cum a natura quædam excretiones etiam sine coctionis signis non inutiliter instituuntur, si talem excretionem prælagiat stillicidium e naribus, pro malo signo habendum haud

erit. Quapropter morbi natura p̄q̄
pendenda, & videndum, an per sal
guinem judicari aptus sit, considerat̄
dumque a qua causa stillicidium illi
proveniat; & quæ alia signa concomi
tentur.

Cognito jam hæmorrhagiam criti
cam esse, videndum, an ea moderat̄
sit, quæ naturæ viribus est commo
tenda: an ea nimis sit parca, quæ
promovenda per emollientia, lac t̄
pidum, tepidos vapores ope spongia
& si per hæc non succedit, irritati
tia, & sternutarios pulveres periclitat̄
beris: aut demum an ea sit nimia,
noscenda signis, quæ superius adnotor
bam, quæ sisti debet situ erecto, et
minus hac ratione deferatur sanguis: si
caput, quiete summa, ligatura artuum
pediluvii tepidis, fungo agarico ni
ribus intruso, attracto naribus vini sp̄
ritu, remediis demum adstringentibus
turundis aqua frigida, aceto, solutio
aluminis, vitrioli, albi præprimis, ini
butis, naribusque appositis, aqua frigida
ad nucham applicata, cucurbitulati
ad hypochondria appositis more Gallæ

ni, (x) qui profulam hæmorrhagiam frustra tentata ligatura artuum, aliisque remediis illico compescuit, dum magnam cucurbitam dextro hypochondrio applicaret; sanguis enim ex nare dextra fluebat; ubi vero ex nare sinistra flueret, regioni lienis illam applicari iussit, si ex utraque nare prodiret, utriusque hypochondrio simul affigendam cucurbitulam voluit. (y)

Quod si innotuerit symptomaticam eam esse, causam inquire, eamque ut apta medicina eradicet, incumbet; ut enim ex arte curatio fiat, causam tollas oportet, tum vasa aperta obleres; sed & observandum, dari casus, in quibus posteriori indicationi prius satisfacere oportet, neglecta tantisper priore; alios vero existere, in quibus si obturatione vasorum curam inchoares, ægrum in præsentissimum discrimen conjiceres; etenim si sanguis non abundet, si impetuosissime ruat, si

C 2

cor-

(x) De Prænot. ad Posthum. cap. 13. ibid. p. 851.

(y) Idem Method. Med. L. 5 c. 3. t. 10. pag. 107. & lib. de curandi ratione per vena section. cap. 11. ibid. pag. 440.

erit. Quapropter morbi natura perpendenda, & videndum, an per sanguinem judicari aptus sit, considerandumque a qua causa stillicidium illud proveniat; & quæ alia signa concomitentur.

Cognito jam hæmorrhagiam criticam esse, videndum, an ea moderata sit, quæ naturæ viribus est committenda: an ea nimis sit parca, quæ promovenda per emollientia, lac tepidum, tepidos vapores ope spongiæ, & si per hæc non succedit, irritantia, & sternutarios pulveres periclitaberis: aut demum an ea sit nimia, iis noscenda signis, quæ superius adnotabam, quæ sisti debet situ erecto, ut minus hac ratione deferatur sanguis ad caput, quiete summa, ligatura artuum, pediluvii tepidis, fungo agarico naribus intruso, attracto naribus vini spiritu, remediis demum adstringentibus, turundis aqua frigida, aceto, solutione aluminis, vitrioli, albi præprimis, imbutis, naribusque appositis, aqua frigida ad nucham applicata, cucurbitulis ad hypochondria appositis more Gale-
di,

ni, (x) qui profusam hæmorrhagiam frustra tentata ligatura artuum, aliisque remediis illico compescuit, dum magnam cucurbitam dextro hypochondrio applicaret; sanguis enim ex nare dextra fluebat; ubi vero ex nare sinistra flueret, regioni lienis illam applicari iussit, si ex utraque nare prodiret, utriusque hypochondrio simul affigendam cucurbitulam voluit. (y)

Quod si innotuerit symptomaticam eam esse, causam inquire, eamque ut apta medicina eradices, incumbere; ut enim ex arte curatio fiat, causam tollas oportet, tum vasa aperta obteres; sed & observandum, dari calus, in quibus posteriori indicationi prius satisfacere oportet, neglecta tantisper priore; alios vero existere, in quibus si obturatione vasorum curam inchoares, ægrum in præsentissimum discrimen conjiceres; etenim si sanguis non abundet, si impetuosissime ruat, si

C 2

cor-

(x) De Prænot. ad Posthum. cap. 13. ibid. p. 851.

(y) Idem Method. Med. L. 5 c. 3. t. 10. pag. 107. & lib. de curandi ratione per venæ section. cap. 11. ibid. pag. 440.

corpus fuerit senile, laxum, frigidum, cacochymicum, hydropicum, tunc retento quantum fieri potest, per injectiones, ligaturas, sanguine residuo, vasa continuo sunt constringenda; at si hæmorrhagia profusa non fuerit, si fiat in corpore plethorico, si cum euphoria, siue suppressa aliqua evacuatione sanguinea, seu in morbis inflammatoriis, tunc subita illa vasorum obturatione nihil periculosius; lethalia siquidem hinc mala, quin & repentina mors forte esset expectanda: quare si plethora hæmorrhagiam excitaverit, primæ indicationi ipsa satisfacit natura, minuendo hoc fluxu plethoram, juvat eandem venæ sectio quocunque loco instituta, tum & alia remedia venæ sectionis vicaria; si nimius humorum ad caput impetus auxerit malum, tum motus nimius sistendus, & præsertim revulsio a capite facienda venæ sectione in pede, venæ temporariæ pertusione, mox aquosis, frigidis, acidis, nitrosis epotis, eccoproticis, dein & externis frigidis capiti prudenter admotis, cucurbitis ad pedes, crura, applicatis. Si acrimonia,

per

per sua signa dignoscenda, produxerit malum, partim involventibus, partim depurantibus, evacuantibus partim, pugnandum erit; quod si acrimonia singularis quædam fuerit nota, scorbutica puta, venerea &c., tunc & specifica contra hanc remedia probe seligantur. Evacuatio suppressa si ansam dederit morbo, prudenter revocanda, vasorum apertorum obturationem exigens. Necessitate urgente ultima salus ponitur in externis adstringentibus, topicis, quorum alia ipsis naribus admoventur, alia vicinis, remotioribusve partibus, inter quæ superius jam cucurbitas hypochondriis applicatas a Galeno dixeram; frigida vel sola, vel aceto admixta, temporibus, nuchæ, quin & genitalibus admota; fungus agaricus tenuissime pulverisatus naribus inspersus; solutio aluminis, vitrioli, albi potissimum turundæ ope applicata; glacies intrusa naribus, incussus terror, spiritus vini, & terebinthinæ, ipsa terebinthina cocta, mastix, thus, colophonia, gypsum, sanguis draconis, cortices granatorum, gallæ, saturnina, & plura alia; id tamen notes

velim, melius hunc in scopum solutiones in usum trahi, quam pulveres; novimus enim, pulveres ejusmodi stipticos facile ad fauces per interiora narium foramina delabi, screatum, tussim, convulsiones, impetuolas sternutationes adeo hic molestas concitare; verum si periculum in mora sit, præstantissimum, & citissimum remedium sæpe est turunda flexilis ex cereo parata, & debitæ longitudinis, ut sic vasa vel erosa, vel dilatata aut etiam rupta coarctentur, & comprimantur.

HÆMORRHAGIA ORIS.

§. XIII.

Sanguinis sputum tanquam generali nomine dixit Celsus (z) omnem, quæ per os fiebat sanguinis excretionem, sive a gingivis, faucibus, naribus &c. prodiret. Aretæus (aa) autem accuratius distinguere maluit; ubi enim sanguis a capite, palato, faucibus &c.

ve-

(z) Lib. 4. c. 4. n. 5. p. 202.

(aa) De caus. & sign. morb. acut. l. 2. c. 2. p. 12.

veniens. exspuebatur, simpliciter vocabat πτύσιν, vel αίμοραγίαν; si vero a pectore, & visceribus ibi locatis, imprimis pulmone, & aspera arteria prodiret, αναγωγήν vocavit, quia sursum ascendit sanguis; hoc vocabulo ad eundem affectum designandum etiam Trallianus (bb) est usus.

Quam hic hæmorrhagiam oris, sputum sanguinis adnoto, sanguinis quidem per os ejectionem, sed neque ex pulmonibus, neque ex ventriculo velim intelligas, verum ex diversis oris partibus.

Hic autem sanguis ore rejectus vel ex gingivis, lingua, faucibus, vel ex naribus internis, aut ex capite ipso, vel ex œsophago, aut demum ex aspera arteria prodire consuevit.

§ XIV.

Fit sanguinis ex ipsis internis oris partibus rejectio in plethoricis, si quædam forte oris interni vascula habeant debiliora, ut fit in hæmorrhoidibus suppressis, si forte fluxus

C 4

san-

(bb) Lib. 7. C. 1. p. 285.

sanguinis aliorum determinetur, ubi tunc aliæ oriuntur hæmorrhoides succedaneæ, aut varices oris; hinc complures prostant dissertationes de hæmorrhoidibus interni oris; sed & hæmorrhagia oris interni observatur in scorbuticis, observatur itidem in febribus malignis, præcipue si maligna febris præhenderit corpus scorbuticum, & cacochymicum, qualis visa est in Nosocomio SS. Trinitatis his annis in Puella tempore feriarum autumnalium, hæmorrhagia inquam gingivarum in febre putrida, maligna potius, & corpore antea jam scorbutico. Hæmorrhagiæ oris interni observatæ quoque sunt in gravidis ob causam satis manifestam, ob impeditum scilicet, aut difficiliorem sanguinis circuitum per abdomen, ob uteri incrementis molem, & sanguinis majorem affluxum ad partes superas. Orgasmus sanguinis quiscunque, undecunque natus interni oris, palati, linguæ, gingivarum, veli penduli hæmorrhagias facit; item suppressa menstrua, dens evulsus: hæ sunt potiores hæmorrhagiæ interni oris causæ; hic

autem

autem sanguis ore rejectus solummodo expuitur absque sreatu, & absque tussi.

Verum etiam sanguis ore rejectus subinde ex naribus internis egreditur, dum quis narium hæmorrhagiam passus supinus decumbit, vel vero si dormienti nares fluant, tunc, uti patet, sanguis per interiora narium foramina in os redit, indeque evacuatur, quale sanguinis sputum non raro vanum hæmoptoës incutit metum.

Sed & ex ipso subinde capite sanguis prodit, qui ore rejicitur; fit id post lapsum ex alto, post ictum in caput, ubi sanguis intra aurem colligitur, intra meatum auditorium, vel vero ubi intra caput ubicunque extravasatus salutari naturæ conamine novas sibi in os parat interdum vias, & sputo cruento demum redditur.

Nonnunquam ex œsophago is sanguis prodit, eumque ut plurimum non simpliciter solummodo, sed sreatu evacuat; verum & sreatu eductus non venit ex ipsis œsophagi vasis, sed ex capite, naribus interioribus, in œsophagum delapsus, indeque pri-

num educitur ; subinde tamen œsophagi vasculum quoddam præternaturaliter aut dilatatur, aut rumpitur, atque sic sanguinis extillat paululum quod pariter i creatu educitur.

Ex aspera arteria prodiens sanguis, tussicula ejicitur ; subinde, præprimis si ex inferioribus asperæ arteriæ plagis prodeat, non tussicula, sed vera tussi evacuatur.

§ XV.

De hæmorrhagiæ hujus effectu, aut prognosi peculiaris nulla adducam, cum a prioribus facile intelligantur ; curam quoque nullus non videt variare, ob varios, quos mox recensebam modos, ob varias, quas percurrebam causas ; quæ tamen & ex his, quæ hucusque dicta sunt, haud magno labore erui potest, atque adeo illi repetendæ supersedebo ; hic evacuantia, corrigentia &c., etiam adstringentia &c. colutorii forma conveniunt.

HAEMORRHAGIA PULMONUM.

§ XVI.

Si sanguis per os ex pulmone eji-
ciatur, *Hæmoptoë* vel & *Hæmoptysis*
dicitur.

Diversas autem hic sanguis qua-
litates præfert; subinde enim flori-
dissimi, & lætissimi est coloris, subin-
de quasi a mactata recenter victima
prodit, subinde spumofus est, mul-
tumque intricati aeris continet, nigri-
cans nonnunquam, & grumofus, ater
nonnunquam, & nigricans, fluidus
tamen apparet; lateritius subinde,
contrito quasi in pulverem lateri si-
milis, subinde ichorofus, modo pro-
diens sanguis filamenta facit, stria-
que, modo profluit meracus absque
aliis additamentis, cum sputis non-
nunquam, iisque itidem variis, muco-
fis, pituitofis, puriformibus, aut etiam
vere purulentis, sæpe per modum
rivi, aliquando certa dierum, hora-
rum, septimanarum, aut mensium in-
tervalla servat.

De hæmoptoë innocua etiam per annos loquitur Hippocrates ; hæc fit a varicosis pulmonum vasis , rupta varice ; idem propemodum hic accidit , quod de varicosis hæmorrhoidum vasis est notum , nisi quod in ano commodior sit locus ; contingit hæc hæmorrhagia plerumque , dum homo optime valet ; sanguis tunc primo prodiens grumosus est , quem floridus sequitur ; in aliis vero hæmorrhagiis pulmonum floridus primo , dein grumosus occurrit ; grumi scilicet facti ex sanguine florido in pulmone relicto ultimo rejiciuntur.

Quoniam non omnis , qui ore ejicitur sanguis , hæmoptoën indicat ; siquidem superius ex oris internis partibus , ex naribus , oesophago , aspera arteria eundem prodire narrabam , & ex ventriculo , ut inde dicam ; quare ex quo loco adveniat sanguis , qui exspuitur , ut noscat Medicus , plurimum proderit ; cujus rei differentiam tum color sanguinis , tum maxime tussis præsentia , vel absentia manifestat ; etenim si cum tussi exspuatur sanguis , pro certo ferme signo habetur , ex pulmone

mone eum prodire , licet hoc errori sit obnoxium . quale exemplum narrat Swietenius (cc), ubi vocatus fuerat ad juvenem , cui inter dormiendum sanguis e naribus fluere incœperat, cumque reclinato jaceret capite , sanguis per narium posteriora foramina in fauces delapsus, tussim excitavit, a qua evigilans exspuit sanguinem, unde maxime perterritus æger fuerat, se hæmoptysi laborare arbitratus ; eundem curavit , os , & fauces aqua tepida eluendo , simulque erecto capite , sed versus anteriora nonnihil inclinato, ut in lecto federet, suadens ; perrexit per integram horam valida latis per nares hæmorrhagia , sed nulla aderat amplius tussis, nullum sanguinis sputum. Eodem loco de se affirmat, levem titillationis sensum in faucibus percepisse, & paulo post screatu sputum sanguinolentum eduxisse, secutam fuisse irritantem tussiculam, & sputum cruore unctum ; aperto ore ante speculum irradiante sole, vidit ad latus dextrum prope uvulam in velo pendulo palati-

no . .

no vasculum arteriosum rubrum, quod capilli diametrum sua amplitudine æquare videbatur, quodve aperto orificio ad latus uvulæ minimam stillabat guttulam sanguinis fere omni minuto iecundo; post horam mediam cessabat hoc, & vasculum sensim contractum post trihorium disparuit; idem in aliis ter adhuc se vidisse affirmat: tale exemplum adfert Galenus (*dd*); sic enim habet: *Nos vero eum (sanguinem) a capite per gurgulionis præcipue partes internas ad fauces affatim descendentem, tussiendo educi sæpenumero conspeximus; nam subito laryngi irruens tussim movet. Quare diligenter advertere animum oportet, ne aliquando hujusmodi sanguinem ex spiritalibus organis ascendere putemus.* Unde merito monuit in eodem capite, os interdum, & nares sollicite consideranda esse, ubi vel minimum dubium de loco oritur, unde veniat, qui expuitur sanguis. Monuit & similia Aretæus (*ee*) de sanguine ex capite & palato descendente, & fallacem hæ-

mo-

(*dd*) De locis affectis l. 4. c. 8. t. 7. p. 466.

(*ee*) De caus. & sign. morb. acut. l. 2. c. 2. p. 19.

moptoës faciente speciem. Sola spuma rejecti sanguinis jam suffecerat Hippocrati, ut ex pulmonibus rejectum diceret, sic enim (ff) habet: *qui sanguinem spumofum exspuunt, his e pulmone talis ejectione fit; & alio in loco (gg): qui spumantem sanguinem evomunt, partibus infra septum transversum dolorem nequaquam sentientibus, iis e pulmonibus vomitio fit.* Qui e faucibus prodit sanguis solo screatu cum titillatione in faucibus percepta, floridus quidem sed non spumolus prodit, sicuti qui ex ore scorbuticorum, læsis, & erosis gingivis floridus quidem, sed neque spumofus, & spuendo tantum excernitur. Ex naribus exire prægressa narium hæmorrhagia, absentia tussis, cum screatu ejectione, & thoracis libertas suadent. In vomitu cruento cum nausea, sive vomendi conatu, grumofus, ingestis remixtus, atque sui præsentia signa in excretis alvintis exhibens, redditur.

Verum tutius institues diagnofim, si plura simul spectaveris; sic si floridum

(ff) Aphor. 13. sect. 5.

(gg) Coac. præn. N. 432.

dum sanguinem , læte rubicundum , spumantem cum tussi ejici videris , & si teste Sydenhamo (*hh*) dolor , & calor pectus plerumque obsideat cum debilitate quadam , & difficili respiratione.

Quæritur autem , an sanguis ex pulmonibus ejici possit absque omni tussi ? negatum id a plerisque est , sed ab uno alterove Medico assertum , & tali quidem , qui ipsemet absque tussi e pulmonibus eduxit sanguinem ; id autem sequenti arbitror fieri ratione posse : si paucillum tantum sanguinis e pulmone prodeat , & pedetentim , tunc is tussiendo plerumque ejicitur ; at vero hæmorrhagiam potius pone , pone is uno filo , aut rivo profluat ex pulmonibus majori rupto vase , tunc plerumque prodibit sanguis uno tractu absque ulla prorsus tussi ; exemplum tale videram in Puella in Nosocomio SS. Trinitatis No. 55. decumbente ; etenim absque tussi cum levissimo , & vix ullo conatu sanguis uno rivo profluxit ; hunc autem ex ipsis pulmonibus venire.

multa

(*hh*) Process. integr. p. 523.

multa docuerunt, & imprimis dolor, atque pressio totius thoracis sinistri, & vis thoraci ante quadriennium ab equo collidente illata.

Præcedunt plerumque hanc evacuationem, magna pulmonum debilitas, horripilatio, lassitudo, pedum refrigeratio, anxietas circa præcordia, pectoris oppressio, spirandi angustia, dolor gravativus, undulatorius circa diaphragma, flatus in abdomine, & dolor dorsi, frequens cordis palpitatio, aucta ad motum corporis quemcunque, etiam post cibum, potumque largius assumptum increbrescens, rubedo faciei, calores volatiles, titillatio ingrata circa bronchia, & fauces, sputa dulcia, crassa, nigrescentia mane præprimis, effervescentia quædam percepta in corpore &c.; quæ dum ultra modum augentur, in aëream tandem pulmonis superficiem sanguis prorumpit, ibique custodes sensuissimos nervos convellens, motu automatico tussim excitat, qua cum aere, & mucus in bronchiis hærente reciprocis motibus conquassatus, atque inde spumescens,

cens, aucto impetu per rimam glottidis ejicitur sanguis.

§. XVII.

Communiter hæmoptoë dividitur in eam, quæ per *αναστομωσιν*, *διαπεδεσιν*, *διερεσιν*, *διαβροσιν*, & *ρυξιν* fieri dicitur; verum quoniam difficilius cognitu sint hæ species, ut §. II. monebam, atque adeo ad prognosim multo magis quam ad praxim conducant, hinc eas enumerasse sufficeret, magis practicam substituendo divisionem; quæ tamen circa has adferri solent breviter enarrabo.

Ea, quæ per anastomosis accidit reliquis minus est periculosa; vasa enim, quamvis dilatata, manent integra, & humores boni sunt, cæteroque potius fieret erosio, quam anastomosis; simul ac enim sanguis transire potest per ultima vasorum extrema, dilatatio vasorum minuitur, & proprio elatere contracta, brevi sic angustantur, ut sanguinem rubrum non amplius transmittant, sed solitos tantum humores sanguine tenuiores; naturaliter enim
 san-

sanguis ruber nunquam exit in tracheas, sive vasa pulmonis aërea, sed secreti a sanguine humores, qui humectant, & lubrico mucō obducunt totam internam trachearum superficiem. In exemplo paulo ante memorato patuit, quod vasculum dilatatum in velo pendulo palatino, ob sanguinem rubrum contentum, manifeste conspicuum, paucis horis se subduxerit oculis, dum ad solitam, & naturalem amplitudinem rediisset denuo; hujus autem signa recensentur, si absque manifesta causa nulla illata externa vi, neque acrimonia ulla præsente prodeat; si parva quantitate, & cum sputis tantum striatis, respiratione interim non multum læta; quæ diagnosi confirmatur, si corpus plethoricum, si sæmina suppressis catameniis, aut vir hæmorrhoidibus suppressis laborent; siquidem & Aretæus (ii) notat, hanc speciem contingere sæminis mensium suppressione laborantibus, per menstruam periodum redire, & nisi curetur, sæpius reverti.

D 2

A

(ii) De caus. & sign. morb. acut. l. 2. c. 2. p. 15.

A ruptura vasorum hæmoptysin natam credimus, si tales causæ prægressæ fuerint, a quibus vasorum ruptura metui possit; sic ab ictu, lapsu, pondere magno elevato, clamore valido, iracundia &c. Si subito sanguis floridus & spumofus exspuatur, novimus a magna vi pulmonibus allata rupturam vasorum factam fuisse (kk). Metus quidem est, ne ob subitam rupturam vasorum, si majora fuerint, purpuream vomant animam, & subito pereant, quales casus plures in observatis medicis habentur; quod si hoc discrimen evalerint, multa curationis spes superest: *rupturæ enim facilior solidatio est, quia vulneris labia se mutuo contingunt* (ll); cum enim vulnus recens sit, & in sano cæteroquin corpore, si fiant omnia, quæ regulæ artis requirunt, consolidatio rupti vasis sperari poterit.

Ubi autem erosio vasis hæmoptysis sequitur, longe difficilior erit cura; optime monuit Aretæus (mm): *Ulcus enim*

(kk) Aret. de caus. & sign. morb. acut. l. 2. c. 2. p. 13.

(ll) Ibid. pag. 14.

(mm) Ibid. p. 15.

enim non vulnus efficitur. Sponte utique patet, ulcus in eroso pulmone ob humorum acrimoniam natum, longe difficilius curari posse, quam recens vulnus a violenta factum causa. Cognoscitur autem, erosionem esse hæmoptysis causam, si nulla vis externa illata fuerit, si tussis diuturna, & irritans fuerit prægressa, si parca tantum sanguinis copia exspuatur, sed perpetuo ferme, vel saltem redeat frequentissime sanguinis sputum; ruptis enim vasis larga sanguinis copia ejicitur quidem, sed sedatur citius; ob hanc causam Christophorus Benedictus (nn) celebris elapso sæculo Londini Medicus, qui optime de hoc morbo scripsit, licet difficiliori stylo usus fuerit, hanc regulam prognosticam posuit: *sanguis per vices in pectus confertim fluens minus periculosus, quam qui sensim & jugiter emanaverit; fluxio enim periodica, licet copiosior ἀναστροφῆς, jugis pedetentim facta ἀνυβρίσεως symptoma; præterea si signa alicujus acrimonix adfuerint, scabiolæ, venerex &c.; sed de his sat multa.*

D 3

Melius

(nn) P. 106. tabid. theatr.

Melius eam dividi puto in hæmoptoën, febrilem, pro diversitate febris, in inflammatoriam, biliosam, pituitosam, putridam, malignam, &c. subdivisam; & non febrilem, in orgasticam, seu plethoricam, in traumaticam, seu vulnerariam, in hæmoptoën tuberculosam, chronicam, seu habitualem, periodicam, abdominalem, ab erosione, demum ab ossificatione aortæ, & aneurismate cordis sinistri; quas uberius in earundem cura mox pertractabo.

§. XVIII.

Causæ hæmoptoën efficientes innumeræ propemodum possunt recenseri, quarum aliæ communes cum reliquis hæmorrhagiis, quasve potissimum in §. IV. enumerabam, aliæ etiam propriæ; huc pertinet ætas juvenilis a decimoquinto, ad trigesimum quintum usque annum; a parentibus in filios traducta dispositio; debilitas vasorum pulmonalium insolita, qualis in hominibus corpore gracili, collo longo, thorace angusto, scapulis multum extantibus, fibra tenui, delicata, & summe

summe irritabili, ingenio præcoci, genis identidem roseis, & cute tenerrima dotatis; hi plerumque hæmoptoë primo tentantur, sero demum exphthisi occumbunt; plethora, quæ ut universum corpus afficit, ita pulmonem cæteris corporis visceribus longe vehementius aggravat; siquidem intra idem tempus, quo per totum corporis ambitum sanguis circulatur, omnis etiam humorum massa per pulmonem solum trajicitur; sanguis præter modum tenuis, ac dissolutus, vel etiam justo spissior; tenuior siquidem sanguis suaapte natura aptior est, ut per fines vasorum pulmonalium, accedente a tergo pressione, se subducat; spissior autem, dum in iisdem finibus hæret immeabilis, efficere potest, ut ipsi vasculorum parietes tanto vehementius urgeantur, distendantur, ac denique etiam rumpantur; acrior demum sanguis ad erodenda vasa est promptior, quæcunque acrimonia illa fuerit, scabiola, venerea, scorbutica, catarrhosa &c.; neque hoc totum est, sed etiam evacuationes aliæ sive naturales, sive per consuetudinem inductæ, dum a quacunque

causa supprimuntur, non leve pulmonum periculum minitantur; docent id fluxus menstrui, lochiorum, & hæmorrhoidum suppressiones; novimus enim, ut jam monueram, menstruam evacuationem erroneam per pulmonem quasdam sæminas pati, utero quasi oppilato, officium non obeunte, idem contingit in viris hæmorrhoidariis, si forte hæmorrhoides aut supprimantur penitus, aut parcius fluant, ut tunc sanguis ad pulmones, ex quadam ratione debiliores, decumbat, ibique pravo quodam modo evacuetur; quid, quod & hæmorrhagia narium præter consuetudinem subsistens, & intermissæ, sed familiares tamen quibusdam hominibus seu venæ sectiones, seu scarificationes &c. non raro viam sternant huic malo; præterea quidquid circum sanguinis difficiliorem per abdomen reddit, totum id subinde efficere solet hæmoptoën, e. g. obstructa viscera abdominalia, lien prætumidum, hepar infarctum post febres diuturnas male curatas; scirrhus, vel polypus in ipsis vasis pulmonalibus; alvus difficilis, rara, dura; ipsa graviditas

&

& uterus tumidus; hydrops abdominis vel impediendo circulum sanguinis per abdomen, vel etiam sanguinem dissolvendo; cum sciamus, sanguinem ultimis præcipue hydropis consummati temporibus nimium quantum esse attenuatum, esse acrem, ut hæmorrhagiæ inde oriantur: huc pertinet validior quæcunque corporis exercitatio, saltus, cursus, equitatio, lucta &c., quibus omnibus motu musculari exagitatus sanguis in pulmonem violentius impellitur; exercitationes validiores ipsorum pulmonum, cujusmodi sunt cantus acutior, diu protractus, modulatio, risus immodicus, sternutatio vehemens, violenta tussis, tubarum inflatus &c., quibus non tam reliquum corpus, quam quidem ipse pulmo concutitur; pertinet huc itidem nixus respirationis fortior, sub elevatione majorum ponderum, aut illorum gestatione, sub partus molimine &c., quo nixu dum abdominalia viscera valide comprimuntur, fieri non potest, quin earum partium sanguis in venas subterfugiat, indeque ad cor delatus, pulmonem majori quantitate obruat,

ubi eodem tempore spiritu diu, multumque retento, collecto, & retardato sanguine vas quoddam rumpitur, & prodit sanguis ea ferme ratione, ac si vis quædam thoraci illata foret: animi affectus immoderati, quales ira, terror &c., quibus quantopere vitalia afficiantur vel sola palpitatione cordis, & quæ hanc subsequitur anhelosa respiratio luculentissime ostendunt; sed & soli abdominis spasmi undecunque nati, spasmi ventriculi, & intestinorum in hysteriis, & hypochondriacis sanguinem copiosius in pulmones aliunde debiliores urgent, ut demum hic spasmus sputum cruentum producat, spasmi orti a saburra biliosa, quæ species non infrequens est æstivali præprimis tempore, & cujus exemplum in Nosocomio in Puero No. 9. decumbente, me vidisse recordor: febris acuta a quacunque causa orta, debili pulmoni superveniens, quippe qui a sanguine alias moderate fluente male habet, adauctæ circulationis impetum multo difficiliter sustinere poterit: ingesta acra, multo sale, & aromate condita, potus vinolenti, spirituosi,

cibi

cibi difficilius digerendi, vel etiam eupepti, sed majori, quam ferant vires, copia assumti; his enim non parum augeri sanguinis circulationem, maxime vero pulmonem, qui in peregrini assimilatione plurimum adlaborat, inde pati, notius est, quam ut hic pluribus declarari debeat; neque infrequens est hæmoptoë a potu frigidaë æstuante corpore celebrato: extimescus adventitia, qualia ictus, impactus, corpus valide irruens, vel contusio thoracis, lapsus ab alto, costarum fractura, vel intropressio, vapores acres inspiratione adducti, tussimque validam moventes; aeris denique ambientis calor massam sanguineam rarefaciens, vel & levitas pulmonem non satis distendens; gelu demum corporis superficiem vasaque externa constringens, indeque ad interiora magis urgens humores huc in censum venit.

§. XIX.

His breviter enarratis, jam quos post se relinquat effectus, & in quos alios metamorphosetur morbos breviter

ter

ter discutiam. Sunt autem alii generales, speciales alii; cum enim & hæmoptoë nil præter hæmorrhagiam sit, nemo non videt, posse ab illa omne malorum genus, more alterius cujuscunque sanguinis profluvii, nasci. Itaque si immoderata fuerit, non modo corpus vitali sanguine defraudare, indeque leucophlegmatiam, cachexiam, virium jacturam, & his pejora, alibique jam recensita mala procurare, sed etiam mortem ipsam inferre potest, idque modo vario; primo enim ipsa sanguinis rejectio nimia copia, deperditione nimia, & subitanea sanguinis, ut in quacunque hæmorrhagiæ validioris specie ex keneangeia, occumbere cogit: secundo occidit, lente inducendo cachexiam, quod evenit si sputum cruentum paulo quidem parcius sit, sed frequentissime redeat; lentam enim, tardamque keneangeiam inducit, & humorum omnium non minus, ac solidarum simul partium prævum statum, cacochymiam, & cachexiam, quæ sero tandem mors inlequitur: tertio etiam repente hæmoptysis occidit, non ob nimiam sanguinis re-

jecti

jecti copiam, sed vesiculæ bronchiales, bronchia subito quod repleantur, unde repentina sequitur suffocatio; ultimo demum phthisi; cum enim peculiaris visceris hæmorrhagia sit, præter mox enarrata communia, & ab aliis quoque hæmorrhagiis oriunda mala, alios quoque, qui ad ipsum hocce viscus spectant, morbos post se relinquit; horum primas pulmonum exulcerationes obtinent, atque inde, quam mox dixeram, orta phthisis: quoniam vero hæmoptysis non mutatur in phthisim pulmonalem, nisi ulcus in pulmone produxerit; considerandum hinc venit, qua ratione contingere id soleat.

Si a vasorum ruptura contingat hæmoptysis, violentis causis prægressis jam pridem enumeratis, tum utique verum habetur vulnus, & omnia quæ vulneri recenti contingunt, etiam locum habent, observanturque ab attento Medico, prouti & alibi partes vulneratæ, sensim magis, magisque a se recedunt mutuo; idem & hic contingit; nisi enim magnum vas ruptum fuerit, quod undatim ingentem sanguini-

guinis copiam fundit, hæmoptoëincipit cum sputo sanguineo pauco, sed mox increfcente, minuitur postmodum, & si quiescat æger, brevi plerumque cessat, sic tamen, ut sputum dilutum, tenue, subrubellum educatur adhuc; uti in vulnere oculis patente rubere labia, dolere, tumere cum levi febricula, vulnus alicujus momenti si fuerit, videmus, ita & in pulmone fieri credendum; tussicula enim nascitur, & quandoque levis doloris sensus, tunc prout in vulnere pus in conspectum prodit, sic & hic purulenti quid expuitur; quod si parca tantum copia appareat, mali haud erit ominis; nam sub hoc pure vulnus consolidatur, externi vulneris more; post pacatum autem somnum, matutino tempore coctum, & purulentum sputum observatur, & consolidato vulnere cessat. Interim tamen notandum, diuturniorem sæpe curam in pulmonis vulnere fieri, quam in externa corporis parte; aer siquidem hic arceri nequit, & pulmo, ob respirationem ad vitam necessariam, omnino quiescere prohibetur, quare & Medicis pru-

prudenribus in hæmoptysi quies continua imperatur, prohibetur loquela, molliffimus victus, & ab omni animi affectu cavendum suadetur, ut, quantum licuerit, quiescat pulmo; quod non ideo tantum obtinet, ut caveatur hæmoptoës recidiva, verum & illi scopo, ut vas ruptum consolidetur citius; pone jam minoris diametri vas fuisse ruptum, sæpe feliciffima fit curatio, ut postea tota vita immunes vivant non a phthisi solummodo, verum & ab hæmoptoë ipsa; ubi vero majores vasorum rami rupti fuerint, magis dehifcet tale vulnus, major nascetur puris copia, & magnus metus est, ne per mollem pulmonis substantiam propagetur suppuratio circa vulneris nata labia, & phthifim pulmonalem inducat, quare & Hippocrates (oo) monuit: *Tabes periculoffimæ sunt, quæ a rptione crassarum venarum.*

Ratio autem altera, quare hæmoptysin fequatur pulmonum ulcus, ex ipsa hujus visceris fabrica intelligitur. Si pulmo inflatus exficcetur, & dein difcindatur, cellulofum se totum

ex-

exhibet, non ideo tantum, quod trachearum ultimi fines in membranulas cavas abeunt, quod in theatro anatomico Cell. meus Anatomix Professor Josephus Barth toties coram demonstravit; verum etiam manifeste apparet membrana cellulosa, quæ interstitia relicta inter folliculos aereos replet, & innumeris arteriolis irrigatur, uti, feliciter repletis per injectiones pulmonum vasis, per microscopia manifeste videtur. Si jam contigerit ruptis his vasculis sanguinem effundi in cellulosam hanc membranam, cruor extravasatus, corruptus mora, & acrior redditus, suppurationem, & ulcus pulmonale, ut producat, par erit; sanguis enim extravasatus, qui in aereis vasis pulmonum hæret, tussi educi poterit facile, ille vero, qui in membrana cellulosa hujus vilceris colligitur, per hanc viam exire nequit, nisi, erosio jam tracheis vicinis, exitum invenerit. Videntur & Hippocratis (pp) observata hæc confirmare, quæ dicta sunt, ubi recenset causas, unde purulentus fit pul-

(pp) De morbis l. 1. c. 5. t. 7. p. 537.

pulmo : Quum venularum quædam in ipso rupta fuerit ; rumpitur autem a laboribus : Et cum rupta fuerit , si crassior quidem fuerit venula , plus fundit sanguinis , si vero tenuior , minus ; partimque confertim quidem sanguinem exspuit , partim vero , nisi constricta vena fuerit , in pulmonem funditur , in eoque putrescit , cumque putruerit , pus facit. Procedente vero tempore , interdum pus sincerum , interdum subcruentum , quandoque etiam sanguinem , Et si uberius repleta fuerit venula , ipsa sanguinis copiam confertim a se evo- mit , pusque crassum ab accedente , ac intus putrescente , pituita exspuitur. Describitur hic primo hæmoptoë , dein a putrescente sanguine , qui in pulmones delapsus fuerat , ulcus , quod vel pus sincerum dabat , vel erosio vasculis vicinis subcruentum , imo & quandoque magna sanguinis copia , erosio a pure acriore vasis , prodiit.

Hinc etiam intelligitur , quare Hippocrates (qq) dixerit : *A sanguinis sputo puris sputum malum* ; non enim hoc intelligendum est , a parca copia

(qq) Sect. 7. Aphor. 15. t. 9. p. 299.

E sputi

sputi illius purulenti, quod rupti vasis incipientem consolidationem significat, uti paulo ante fuerat dictum; verum a tali sputo puris, quod & majori copia prodit, & diuturno tempore pergit, sicque ulcus pulmonis significat; unde & Galenus optime in commentario ad mox allatum aphorismum monet: *quod non omne sanguinis sputum sequentem habet puris exspuitionem, sed tantum illud, quod mali moris est.*

§. XX.

Facturus morbi hujus prognosim Medicus, ad copiam imprimis, & qualitatem sanguinis rejecti, causam hæmoptoes, temperiem ægri, & morbi lympptomata attendat oportet; etenim pro varia horum conditione, varium quoque erit hujus periculum; si quidem quo plus rejicitur sanguinis, eo quoque periculosiorem esse hæmoptoën cæteris paribus indubitatum est, & vicissim; quare quo major virium prostratio hæmoptoën subsequitur, eo plus periculi, & contra; dissipientia autem, singultus, & convulsio pessimi sunt omnis,

nis, & mortem vicinam annunciant. Vi-
 rorum hæmoptoë peior est cæteris pa-
 ribus, quam illa sæminarum; peior in
 senili, quam juvenili corpore, peior
 quoque in prædispositis; timenda ma-
 gis, quæ a dissoluto, & acri sanguine
 trahit originem; atque adeo mala ad-
 modum, quæ febrem putridam comi-
 tatur; pessima quæ variolosam, & pe-
 techialem febrem; unde etiam mictum
 sanguineum, & violentam sanguinis e
 pulmonibus eruptionem, pro certissi-
 mis mortis signis habuit in variolis
 Sydenhamus (rr); fateturque se nulla
 methodo has hæmorrhagias compescere
 potuisse: æque mala in hydropico,
 cachectico, scorbutico, atrabilario ho-
 mine; hæreditariam omnium curatu dif-
 ficillimam, & cui debilitas pulmonum
 originem dedit, affirmant Practici;
 quo diutius compelci negat, eo fune-
 stior est, violentiorem causam indi-
 cans; neque boni quid præfagire per-
 mittit, quæ sæpius recurrere consuevit;
 etenim cum per se anceps, & pericu-
 lola sit, haud injurie magis tunc ti-
 mendum, ne pulmo non consolidetur,

atque adeo ulcus rebelle, & phthiſi viam ſtraturum, relinquatur. *A ſanguinis ſputo puris ſputum malum* jam dudum notavit Hippocrates (ss); ſiquidem pulmonem ſuppurari, atque adeo mali ulceris metum incutit; quæ aliarum evacuationum ſanguinearum ſalutarium præprimis vicaria eſt, eſſi non negligenda, minus tamen timenda reliquis; hinc quæ ſuppreſſis catameniis vel hæmorrhoidibus ſupervenit, cæteris paribus minus habet periculi, & longiori tempore tollerari poteſt; in qua ſanguis paucus, floridus, ſine multa tuſſi, ſine feбри, vel illa ſaltem non redeunte, & abſque ſignis acrimoniæ ejicitur, ea curatu aliis eſt facilior; facilius quoque medelam admittit, quæ a cauſa externa levioꝛe tamen, quam quæ ab interna ſimili ortum agnoſcit, modo cæterum bona ægri fuerit temperies.

§ XXI.

Ut de curatione morbi hujus quædam adferam poſcit ordo; hanc vero
 pro

pro varia hæmoptoës specie variare
 itidem quisque videt; quare a febrili
 initium ducens, reliquas singillatim
 percurram.

Pro varia, cui associatur, febrī,
 propriis signis noscendæ, methodum
 quoque variare necesse est; occurrit
inflammatoria sæpius febris non universa-
 lis modo, sed ea quæ pulmōnes infe-
 stat præprimis; pulmonum inflamma-
 tio sæpissime sputum cruentum sibi jun-
 ctum habet, sit inflammatio illa pleu-
 ritica, sit peripneumonica; quod si
 sputum illud cruentum ex quacunque
 ratione paulo fiat largius, non amplius
sputum cruentum; sed *hæmorrhagia* au-
 diet *pulmonum*, erit nihilominus idem
 morbus, erit pleuritis peripneumonia,
 vel si mavis, erit *hæmoptoë inflam-*
matoria.

Medendi ratio abunde patet ex
 præmissa pleuritidis, & peripneumonix
 notione; etenim omnem medendi me-
 thodum absolvet apparatus antiphlo-
 gisticus, isque summus; repetitæ phle-
 botomiæ, emulsa tepida, leviter ni-
 trosa, emollientes tepidi, & copiosi
 potus, summa quies, loquelæ absti-

mentia, cataplasma aut fofus emolliens ad totum thoracem appofitus; univerfim omnis illa materia medica, quæ alias folet in pleuritide, & peripneumonia vera indicari.

Quare in confeffo eſt, nulla opiata convenire poſſe in hæmoptoë inflammatoria, æque parum ac conveniunt in pleuritide ſimplici, aut peripneumonia; patet itidem pernicioſum rerum adſtringentium uſum, ſucci catechu, aliorumque in hæmoptoë celebratorum, ex idæa pleuritidis, idæa peripneumonix inflammatoriæ, quæ haud dubie horum uſu exacerbantur; ſed & malus eſt mos illorum, qui actu frigida, aquam frigidiffimam, nivealem, glaciale, aliaque frigida adhibent pro potu æque, ac ad thoracem, vel nucham pro epithemate applicando.

Neque minus frequens bilioſæ febris eſt comes hæmoptoë, quæ provenit a biliola colluvie ventriculum & inteſtina gravante: novimus colluviam hanc nonnunquam ſpafmos abdominis producere, retardare, & impedire liberum ſanguinis per abdomen motum, ſanguinem ibidem impeditum,

regurgitare, urgerique ad alias partes, in sæminis non raro ad uterum, unde uterina hæmorrhagia, in maribus ad pulmones sæpissime, ut inde hæmoptoë originem agnoscat.

Hæmoptoë hujusmodi, quam *biliofam* nuncuparem, aliam omnino medelam non requirit, quam quæ feбри principi medetur, solventem, indicata via evacuantem: vidi Puellam 17. annorum No. 69 in SS. Trinitatis Nofoconomio tali hæmoptoë detentam; medebatur feбри biliofæ solummodo, atque una hæmoptoë curabatur.

Hæc est celebris illa jam dudum nota hæmoptoë, quæ ipecacuanhæ, aut tartaro emetico paret; etenim emeticum stimulantem biliofam materiem excutiet, & sic remoto stimulo cessabit spasmus, cessabit spasmii effectus, atque adeo ipsa hæmoptoë; lætus equidem recordor, me excepisse Cell. Maximil. Stoll meum Praxeos Professore, dum narraret propinato emetico ejusmodi hæmoptoën non semel a se momento quasi consopitam.

Verum & peripneumoniam notham, seu pituitosam sæpius comitatur ab

immeabili pulmone, a sanguine cordis dextri viribus violenter nihilominus intra pulmones protruso, eos tamen permeare difficulter valente, utpote pituitoso infarctu oneratos, qualis conditio esse pulmonum solet in *peripneumonia senili*, seu *notha* dicta.

Curam ea absolvent, quæ pituitosæ feбри medebuntur, quæ vires cordis, & movendorum molam minuent, quæ infarctum pulmonum expedire, & quidem ea expedire ratione queunt, qua id proficuum est in *peripneumonia notha*; novimus autem id fieri præcipue solventibus iteratis, blandioribus eccoproticis, & subinde etiam venæ sectionibus jam præmissis, non raro etiam ipsis emeticis.

In febribus putridis, malignis, variolosis, petechialibus, observata hæmoptoe funestum plerumque est symptoma; attamen ni magna vi sanguis effundatur, ni respiratio multum lædatur, ni adsit strepitus inter respirandum, ni simul adsit dolor punctorius, ni, inquam, gravia hæc comitentur symptomata, aliquoties hæc
spe-

species curationem admittit; eam tamen semper, quæ in morbi principis ablatione consistit; quare eadem huic occurrent, quæ febrem putridam, malignam, variolosam, petechialem &c. solantur.

§ XXII.

Illius quam *orgasticam*, seu *plethoricam* hæmoptoës speciem superius nominabam, sit ea plethora momentanea, & ad tempus solum, qualis esse, atque observari solet ab exercitio vehementi corporis quocunque, ab assumtis spirituosis, stimulantibus, ab ira, vociferatione, cantu, clamore &c., seu sit plethora non *orgastica*, non momentanea, sed permanens totius corporis, patet, inquam, illius medendi rationem consistere in venæ sectionibus, emulsis nitrosis, quiete corporis, in artuum extremorum ligatura, loquelæ abstinentia, in potu acidiusculo.

Verum patet etiam, nocere & hic opium, nocere actu frigida mox in initio; prodesse tamen demto sanguine,

celebratis jam necessariis venæ sectionibus, levissime tantum frigidiuscula, prodesse acidiuscula, utpote quæ, sanguinem in orgasmum deductum, consopire valent; quod si orgasmo consopito, demta plethora, restet adhuc tussicula quædam, opium forte parce datum serius prodesse eo scopo poterit, ne ipsa succussio per tussim induc'ta, novæ hæmoptoës fiat causa.

§ XXIII.

Hæmoptoë *traumatica*, seu *vulneraria* variam agnoscit originem; sic omnis tussis diuturna, undecunque nata sanguinem valebit excutere, præcipue tussis illa per eminentiam *Ferina* dicta; quæ pulmones diuturnis succussionibus, succussionibus frequenter repetitis, & validis quasi vulnerat; hæc quoque in illis observatur, in quibus externum vulnus, thoracem penetrans, infligitur, ut inde & pulmo ipse vulneretur; quod si magnum vulnus non fuerit, sanari sæpe est visum; sed etiam vulnera pulmonum interna nonnunquam hæmoptoën causant,

fant, si e. g. alienum corpusculum inter bibendum, inter manducandum rimam glottidis subeat, immanem tunc tussim concitat, quam diutius protractam sputum sanguinis comitatur; oritur itidem hæmoptoes hujus species a lapsu ab alto, a forti in thoracem impactu, contusione &c.

Eadem propemodum cura hic obtinet, quæ in peripneumonia, aut pleuritide inflammatoria; & universim ubicunque vis alicui visceri, atque thoraci præprimis illata fuerit, cura proderit unice antiphlogistica pro dato casu plus minus generosior; post aliquod tamen tempus, præmissis jam pluribus venæ sectionibus, adhibitis emollientibus, & tepidis potibus, proderit lene ad vesperam opiatum.

Neque silentio hic præterire possum pravam quorundam methodum, qui in contusionibus internis præcipue pulmonum, balsamica præscribunt, scopo, ut loqui amant, consolidante; etenim contusa pars, pars vulnerata adeo non consolidabitur, ut vi balsamorum stimulante locus vulneratus inflamma-

tio-

tionem, eamque fatis magnam contrahat, hacque validiori suborta, mala sequatur suppuratio, atque lethalis in pulmonibus.

§ XXIV.

Hæmoptoën *tuberculosam* superius itidem numerabam; multiplex autem est tuberculorum origo; vel enim fiunt a scrophulosa materie, aut etiam a non scrophulosa quidem, sed simplici pituitosa ad thoracem decumbente, aut etiam a non bene soluta pleuritide, & peripneumonia prægressa, sed deposita lymphæ coagulabilis portione ad pulmonis substantiam: verumtamen quæcunque sit origo illorum in pulmonibus, omnis generis tubercula pulmonum, hæmoptoën facere sunt observata; difficilior etenim erit humorum sanguineorum per partes pulmonis tuberculis obsessas motus, difficilior circuitus; hinc præcipue si cor dextrum violenter moveat, atque movere pergat in pulmonem sanguinem, vasa quædam hinc inde rumpentur, oriaturque, de
qua

qua hic modo fit sermo, hæmoptoës species.

Profunt imprimis parvæ venæ sectiones eo scopo, ut vis cordis minuat non minus, quam movendorum moles; profunt blandissima inde solventia, ferum lactis, aquæ præprimis selteranæ, roitschenfes, aliaque similia.

§. XXV.

Hæmoptoë *chronica*, seu *habitualis* oritur plerumque in homine ad phthisim prædisposito, sed cæterum perfecte se bene habente; sæpius redit, & emanet iterum, iterum denuo rediens; sanguis primo grumofus, dein fluidus exit, quod varices in pulmonibus præfentes retinendo aliquamdiu sanguinem, ruptæ postmodum grumofum reddant, quem fluidus subsequitur: abit in phthisin per se quidem non raro, sæpius licet ob perversam curam, roborantia scilicet, aut balsamica si propinentur; sic enim firmatis totius corporis vasis, magis impeditur circulus, plus ad pulmones forte debiliores

res

res defertur sanguinis, hinc & citius rumpuntur vasa, atque inde fit ulcus, ex quo phthisis orditur.

Curatur repetitis quidem, sed parcis venæ sectionibus, antiphlogisticis mitioribus, diætâ vegetabili, excarni; vitando ea, quæ humorum circulum accelerare valent. Laudat Cl. Mackbride ipecacuanham parcis dosibus, ut intra nauseas effectus illius consistant, & quasi revellatur sanguinis copia a pulmonibus ad irritatam partem; ad finem peruvianum corticem; ubi autem sæpius redierit pulsu semper duro manente, phthisini timendam ait, ubi ferum lactis, vel aqua selterana cum lacte asinino, aer purus, & equitatio suadentur.

§. XXVI.

Hæmoptoë *periodica* a suppressa solemni evacuatione noscit natales, sanguine ad pulmones modo recurrente; fit illud a suppressis catameniis, seu fit a suppressis hæmorrhoidibus, eadem ratione intempestive exitum per pulmones molientibus.

Si a suppressis menstruis fuerit, in ipso hæmoptoës actu generalibus insiſtes, ligaturis, quiete summa, enematis emollientibus, dentum & aliquantulum irritantibus, ut sic ad inferas partes derivetur sanguis; reliquo autem tempore in suppressionis causam inquires, eique auferendæ adlaborabis; pediluvia, femicupia suadebis, remediaque blandissime & urinam, & alvum moventia; hæc siquidem remedia humores per debita corporis cola blande educunt, utut sit abstinendum omni modo a validioribus emenagogis.

Ea, quæ fit ab hæmorrhoidum suppressione sanguine sese erronee per pulmones evacuante, in actuali fluxu iisdem propemodum levatur, quæ mox recensēbam in hæmoptoës actu a menstruis suppressis; silente autem hoc fluxu, inventæ causæ occurrens, præsto eris remediis leviter aperientibus, blandissime sollicitantibus alvum, atque iis omnibus, quæ hæmorrhoidales venas aperiunt, quin tamen simul inducant humorum universalem orgasmum; hinc profunt hirudines, profuit

fuit etiam, vasa hæmorrhoidalia aperire linctu canis, vel felis, vel & frictione cum foliis ficus peracta, aut etiam lanceola; juvat itidem, derivare sanguinem ad vasa hæmorrhoidalia infessu in aquam dulcem per semicupium, vel vero juvabit eundem sanguinem provocare vaporibus, ope fellæ perforatæ ad anum admissis.

§. XXVII.

Hæmoptoës *abdominalis* species tanquam novum genus spectari potest, subdividendum denuo in species alias inferiores; prout enim illa causa in abdomine residens varia fuerit, ita etiam hæmoptoës abdominalis varia erit species.

Uterus gravidus in quibusdam prædispositis, impediendo liberum humorum per abdomen motum, sanguinem versus laxos forte pulmones urgendo; uterus, inquam, gravidus in quibusdam ultimis graviditatis temporibus hæmoptoen efficit; prægrande alicubi ovarium, & in molem immanem excrescens, alvus diutissime obstructa, fæces anti-
quæ

quæ sputum cruentum fecere. Patet hic curam in generalioribus illis consistere, alvum referare, eamque tenere apertam debere.

Hydropicorum quoque hæmoptoë haud infrequens est, ubi videlicet abdomen nimium quantum ab aqua turgēt, ita ut difficillimus sit humorum per abdomen motus, ut inæqualis per omnes corporis partes ita fiat sanguinis distributio, plus sanguinis petat caput, plus pulmones, fortassis jam ab alio vitio debiliores, ita quidem ut laxior pulmo decumbentem ibi sanguinem, validius illuc ruentem nequeat sustinere; non raro hæc hæmoptoë sub ultima modo hydropis consummati tempora accidit; nonnunquam etiam in hydrope, qui primo aspectu non adeo periculolus videtur, oritur, idque subito, aquis videlicet partem aliquam subito deferentibus, & petentibus thoracem, vel vero aquis ad caput subito ruentibus; atque inde explicandæ veniunt *hydropicorum* repentinæ, suffocantes, vel apoplecticæ mortes. Cura equidem si quæ fuerit præter generalia, ea erit, quæ principis morbi curationem

absolvat ; si autem ultimis hydropis temporibus id accideret, vix non conclamatae res habentur, neque boni quid sperare licebit.

Sed & hæmoptoë abdominalis oriri potest a spasmō ventriculi, & intestinorum, undecunque nato, nato non a biliosa saburra solummodo, sed etiam a saburra verminosa, ab animi pathematibus, a quacunque denum alia causa; hæmoptoë hypochondriacorum, & hysteriarum solis sæpe spasmodicis debet originem. Medebuntur eidem, quæ spasmos consopiant, evacuantia, anthelminthica, antispasmodica; hinc est, quod hypochondriacorum, & hysteriarum hæmorrhagias anthelminthica sæpe tollant; atque hæc est hæmorrhagiæ species, ubi opium subitanam fert opem; hinc etiam est, quod cum maxima utilitate, & fructu adhibita legamus in hæmoptoicis vesicantia, quæ res non alios omnino explicatus admittit, nisi quod vesicans in ea, cui applicabatur, parte dolorem excitando, solveret alibi existentes spasmos, qui causa hujus hæmoptoës fuere: explicari quoque inde possunt,

possunt alterantium effectus, ipecacuanhæ præprimis, ea pusilla dosi datæ, ut vomitum non excitet, sed ut effectus illius omnis intra solas nauseas & vomituritiones consistat, ut sic in abdomine, aut ubicunque existentes spasmi solvantur irritato leviter ventriculo, irritatis intestinis; ea siquidem universalis in œconomia corporis animalis lex obtinet, ut, accedente per artem excitato spasmo, qui prius spasmus aderat, tollatur.

§. XXVIII.

Hæmoptoë ab *erosione* variam item patitur subdivisionem, prout materies erodens, materies, quæ pulmones exulcerat, variaverit, prout fuerit vel venerea, scabiosa, ichorosa, herpetica, vel vetus catarrhosa, aut etiam materia scorbutica &c.

Quare & cura varia sit necesse est, pro ratione varia peccantis materiæ; novimus efflorescentias diversas cutis ferme omnes facillime ad interiores partes recurrere, & præ cæteris petere pulmones: quod si actu hæ-

moptoë adfit, proderunt illa omnia, quæ in omnibus hæmorrhagiis adhiberi consueverunt, quies, ligaturæ, abſtinentia ab aromaticis, calefacientibus &c.; extra eandem vero neceſſe erit, indagare in naturam materiæ erodentis, cui, cum per artis ſigna innotuerit, omnem aptare medelam erit neceſſe.

§. XXIX.

Ultimo memoranda venit hæmoptoë ab *offificatione* aortæ, atque ab *aneurifmate* ſiniſtri cordis, quarum prior fit a retardato deſcenſu ſanguinis per aortam, forte ob aortam alicubi preſſam, quæ preſſio innumeris utique modis contingere poteſt, forte ab ejuſdem offificatione; ſi offificatio cauſa fuerit, immedicabilem hanc eſſe quiſque videt; palliare fors illam poteris minuendo impetum ſanguinis parcis, & repetitis venæ ſectionibus, diætâ tenui, vitando ea omnia, quæ circumſum, & copiam ſanguinis augere poſſent; ſi autem preſſio induxerit malum, ſique eadem auferri poterit, ſpes curæ ſuperest per ablationem ejuſdem; ea
vero,

vero, quæ a cordis sinistri aneurismate agnoscit originem, incurabilis omnino est, neque aliud præstare poteris, quam insistendo generalibus, ut eam aliqua ratione lenias.

HÆMORRHAGIA VENTRICULI.

§. XXX.

Vomitus cruentus græcis ἀιματεμεσις, ab ἀιμα sanguis & εμεω vomo derivata vox, sanguinis cum conatu vomendi per os rejectionem significat.

Sanguis varius est, plerumque niger, interdum grumofus, contentis ventriculi, bili, pituitæ &c. mixtus.

In eo hanc hæmorrhagiam distinguunt ab ea, quæ per pulmones fit, ut superius adnotabam, quod in hac floridus, spumans, coccineus, & cum tussi atque strepitu ejiciatur sanguis, Teste Ill. Præside (ss); sic & Hippocrates (tt) habet: *qui sanguinem spumofum exspuit, huic ex pulmone talis reje-*

F 3

Etio

(ss) Præcept. Med. t. I. p. 199.

(tt) Aphor. sect. 13.

Etio fit ; ubi e contra ut plurimum grumolus, excitato vomitu, sine tussi e ventriculo expellitur ; verum & superius demonstrabam, sanguinem sæpe ex palato, naribus, faucibus profluere, qui vomitum nonnunquam simulat, unde titillatio circa illas partes, inspectus, & accuratius examen discrimen facile dabunt ; nam quod sanguis proprie ex ventriculo prodeat, docent præterea senius doloris, pressionis, & gravitatis ad regionem ventriculi ferme continuus, copia non adeo magna, sanguis cum naulea dejectus, ac mordacitas, in deglutiendo, tum sanguis aliquando cum cibo, alias cum bile vel pituita mixtus (uu). Ante vomitum per aliquot tempus percipiunt ægri in scrobiculo cordis anxiosam quamdam contractionem, cum gravitate, & tensione infra costas spurias, ad hypochondria præprimis, anxii demum fiunt, & grumosum ejiciunt sanguinem ; quo evacuato, levamen percipiunt, anxietas, & tensio evanescit, parum,
aut

(uu) River. Prax. Med. l. 9. c. 8.

aut nil virium amittunt, siquidem sanguinis evacuatio non fuerit nimia. (vv)

Arbitrabantur olim, quam modo, plures, sanguinem in ventriculum per vasa brevia venosa infundi, quæ liquidum suum per ramum splenicum eodem ablegant; verum id fieri contra leges circulationis novimus; alii vero brevius, & magis naturale, magisque aliis hæmorrhagiis analogum iter statuunt, hunc sanguinem per extremos arteriarum apices effundi in ventriculum, sive ibi dehiscant, dilatentur, aut disrumpantur eadem, asserentes.

§. XXXI.

Variæ statuuntur vomitus cruenti species, desumptæ ut plurimum a variis, quibus excitatur causis, quas singillatim recensendo, ipsas multiplices, & inter se diversas vomitus cruenti species in medium adferam.

Sanguis quantitate peccans, aut idem in suis canalibus plus æquo rarefactus, seu plethora vera non minus,

F 4

ac

(vv) Ill. L. B. de Störck loco cit.

æ spuria vasa rumpere, aut eorum ora
 extrema dilatare, & aperire potis est;
 cruor nimius in corpore coacervatus
 ob alias solennes evacuationes sangui-
 neas impeditas, menstrua putæ, hæ-
 morrhoides, conluetas venæ sectiones
 &c.; plethora, sed plethora tandem
 ad ventriculum determinata, ibique
 hæmorrhagiam faciens; inde est, quod
 quædam sæminæ reperiuntur, in quibus
 menstruæ purgationes, obturatis uteri
 viis, per vomitum periodice fluunt; &
 alii ægrotantes, in quibus deficiente
 hæmorrhoidum solito, & ordinato flu-
 xu, sanguis per os, aut nares statim tem-
 pore rejicitur, vel idem dissolutus ad-
 modum facile ab extremis, & capillari-
 bus arteriis elabatur, & excidit, mi-
 nus deinde per venas revehendus,
 quare plethorici, & habitu athletico do-
 nati, item & qui victu euchymo, &
 copioso utuntur, aut eodem spirituoso,
 & calido, vasorum ruptioni, atque
 dilatationi sive in stomacho, sive in
 aliis partibus præ aliis obnoxii sunt;
 cum enim distentis sanguiferis vasis,
 sive a cruoris redundante copia, sive
 ab ejusdem aucto motu, non possit ille
 conti-

continuo cordis motu propulsus libero circuitum suum peragere, necesse est, ut hic, aut illic fractis suis parietibus, & repagulis, erumpat, ac facilius quandoque in stomacho interiori, ubi vasa magis laxa & mollia sunt, utpote semper irrigua, & per plures digestiones, multosque ventriculi labores debilitata.

Quod de athleticis, plethoricisque corporibus dictum est, dici pariter de iis debet, qui febre ardente, maligna, pestilentiali, variolosa, morbillola &c. tentantur, aut qui ab aliqua externa, & procatartica causa, insolatione videlicet, exercitio immodico, seu corporis, seu animi, vini, & liquorum ardentium immoderato usu admodum excalesacti sunt &c., in quibus, quia sanguis est valde attenuatus, aut vehementius in vasis suis motus, non potest, vel minima data occasione, quacunque ratione id fiat, per anastomosis, rixin &c., non effundi.

Verum & alia est causa spasmus in partibus membranaceis imi ventris, ubi turbato sanguinis per vasa infimi

abdominis motu ob partes spasticè contractas, unde sanguis excluditur, & in alia viscera urgetur copiosius, localerque plethoram efficiens, unde variorum hæmorrhagiæ fontem suum agnoscunt; si enim id ad nares fiat, aut fiat ad pulmones, mala superius descripta habebis; si vero ad ventriculum determinetur, per ruptos, vel dilatatos vasorum apices exitum molietur.

Sed & causa cruenti vomitus habetur in obstructionibus viscerum abdominalium ventriculo vicinorum, seu hepar, seu lien, aut quodcunque aliud fuerit viscus; etenim hæc obstructa sanguinis motui per ea obicem ponunt, atque inde excludunt, hinc necessario efficiunt, ut per aliorum viscerum vicinorum arterias plus sanguinis fluat; etenim hepate, vel liene obstructo, per arterias ventriculi e. g. plus sanguinis fluet, valentius, atque majori cum impetu, unde vasorum ventriculi dilatatio, aut ruptura, atque inde hæmorrhagia, & vomitus cruentus; sed & alia ratione affecto hepate vomitus cruenti origo concipi

potest; si scilicet sanguis ex vase hepatico arterioso, vel venoso dilatato, aut rupto effundatur, & deferatur per ductus biliares ad duodenum, atque inde ad ventriculum, unde vomitu excutitur.

Neque minus frequenter a debilitate vasorum ventriculi, ab erosione, ab exulceratione venarum, & arteriarum, quæ stomachum perluunt, procedit vomitus sanguineus, atque id per omnia illa, quæ virtute acri, caustica, & corrosiva donata sunt, apta proinde tunicam stomachi internam, & ipsam perreptantia vasa exedere, ac exulcerare; in censum huc veniunt purgantia vehementiora, emetico-drastringica, conatum vehementem in vomendo excitantia, venena hausta, liquorum acidorum usus, pulvis cantharidum assumptus, comesti fungi, atque alii cibi pravi, acridinem & corruptelam venenatam facile contrahentes, vermes mordentes vomitum, & alvum cruentam, dysentericam ferre faciunt; hirudo forte cum aqua fontana, aut fluviatili deglutita testante felicissimo

Ri-

Riverio (*ww*); humores etiam acres, stygii, aut per moram in stomacho tales facti, aut a sanguine salibus onusto suppeditati, & in stomachum depluentes, non absimiles iis, qui in pulmonem delapsi, hæmoptoën pariunt; bilis acrior, tempore quo biliolæ febres epidemice grassantur, bilis stimulus, inquam, alliciens ad ventriculum sanguinem, vomitum cruentum causat.

Habetur quoque vomitus cruentus a percussione externa violenta ortus, a vulnere, periculosus certe si sanguis in cavum abdominis simul effundatur; quod nosces a tumore abdominis, pallorē faciei, pulsu debili, extremis frigidis, ubi convulsio, & hanc insequens mors, scenam claudit; externas inter aut evidentes causas recensetur equitatio validior, saltatio, crapula ingens, & plura hujusmodi, quorum effectus nimix ventriculi distensionis, agitationis, attritui, dilacerationi, & solutioni est tribuendus.

Alia species cruenti vomitus illa observatur, quæ a cancroso ulcere ven-

Ventriculi provenit; aderat mox præterlapsis annis in toties memorato Nofocomio Vetula, quæ & vomitu, & ano sanguinem ejiciebat, quæ etiam inde occubuit; in fundo ventriculi scirrhus reperiebatur non simplex, sed in cancrum jam conversus, speciem referens majoris tuberis solani; vasa ampla, varicosa, ex omni parte versus cancrum scirrhum extendebantur, ubi in ipso erosa, atque fundentia sanguinem, deprehendebantur.

Solemnior cruenti vomitus est illa species, quam etiam *Morbum nigrum* Hippocratis vocant, seu *morbum atræ bilis*, cujus brevem hanc adjungam descriptionem. Varicosa ventriculi redduntur vasa venosa ea prorsus ratione, ut in hæmorrhoidariis vasa tumere solent, aut quemadmodum varicosa in cruribus gravidarum redduntur; fit autem id varias ab rationes, præcipue incusatur sanguis menstruus diu retentus, vel vero fluxus hæmorrhoidalis alias consuetus subsistens, aliæque modo evanescentes solitæ evacuationes, sanguine ad ventriculum decumbente; quod si forte vel ipsa sanguinis in tali

varice contenti, grumofique accedat acrimonia, quæ varicem erodat, vomitus fequetur grumofi, atrique fanguinis, vomitus dictus *atræ bilis*, vel vero fi medicamentum quoddam drafticum affumatur, fi affumantur alimenta acria, quæ follicitent, rodant, aut difrumpant varicofas venarum tunicas, fequetur vomitus materiæ fanguineæ, fiffæ, grumofæ, atræ, quæ materies ore, & alvo sæpiſſime copioſe ejicitur; hæc vomitus cruenti ſpecies haud rara occurrit, atque optime a Tiffoto deſcripta in epiſtola ad Zimmermannum habetur, ubi plura legi hanc in rem poſſunt.

Prænuncii plerumque habentur, contractio in ſcrobiculo cordis, gravitas hypochondriorum, dolor ſine oppleſione ventriculi, ſine vitiis bilis, aut diætæ errore, ſpinæ dorsi dolor, poſt paſtum, aut cibos ſtimulantes, purgationes, evacuationem, ſequitur debilitas, animi deliquia.

Datur ultimo Vomitus cruentus ſimulatus; habentur exempla, ubi fanguis crudus animalium deglutiebatur, potiffimum ab iis, qui militiam abhorrent, ut ferendis armis in-

inepti pronuncientur; hic sanguis recens deglutitus inde vel per se vomitum faciens ejicitur, aut etiam desuper assumpto emetico.

Quare perspectis diversis his causis, patet nullatenus Antiquis assentendum, qui stagnantem sanguinem a capite, liene, utero &c. tanquam a partibus mandantibus deducunt, vomitus cruenti causam statuentes; error namque ille satis, superque concidit per solam circularis sanguinis motus doctrinam, quamquam nos etiam non negemus, eundem aut ex ore in stomachum descendere posse, ut in puero recens nato post frenulum sublinguale resectum contigisse notant Observatores, aut dum in repleta nimis mamma loco lactis, sanguinolenti feri copia ab infante exlugitur, deglutitur, & paulo post revomitur, vanum vomitus cruenti terrorem inducens, aut ex gutture, faucibus, & œsophago a sero acriosis erosio, atque exesis, vel a quacunque causa dilatatis, ruptisve ibidem vasis, imo & intestinis stomacho vicinioribus, aut etiam ex pancreate, atque hepate ulcere laborantibus, si
nempe

nempe per ductus bilianos, aut choledochum deferri in duodenum possit, atque hinc in ventriculum exantlari, unde vomitu etiam reddi observatur.

§. XXXII.

Morbus hic periculo vix unquam carens, ex cognita causa, modo excernendi, ac copia humorum excreta, effectibusque inde subsecutis, plus minusve periculi subesse Medicum docebit. Si diuturnior hæc persistit sanguinis evacuatio, communia omnibus hæmorrhagiis modum excedentibus relinquit mala, atrophiam, partium etiam affectarum exulcerationem, ex hinc phthisin teste Hippocrate (xx) a sanguinis vomitu tabes, & puris purgatio sursum; periculum hujus evacuationis alio loco (yy) adnotat: *Sanguinem superne efferi malum; magna si fuerit sanguinis rejecti quantitas, vel si prava superveniant symptomata, periculum adaugent: Sanguine multo effuso convulsio, aut singultus superveniens*

(xx) Sect. 7. Aphor. 78.

(yy) Sect. 4. Aphor. 25.

ens, malum (22); item, a sanguinis fluxu delirium, aut etiam convulsio malum (a); tum alio in loco; Qui sanguinem vomunt siquidem sine febre, salutare; si vero cum febre malum equidem in febribus putridis malignis, variolosis &c. prouti omnis hæmorrhagia valde est periculosa, ita etiam sanguinis vomitus vix non semper est lethalis; periculum eo majus dicendum, quo majus, & notabilius vas ruptum fuerit, & copiosior sanguinis rejectio; item si arteria potius, quam vena sit rupta, utpote sanguinem magis floridum, magisque vitalem, vehementius fundens; si notabile stomacho vulnus inflictum fuerit, si lipothymia, & syncope frequenter ægrum infestent, minus vero portenditur periculum, dum affectus ex suppressione menstruorum, aut hæmorrhoidum vel alterius solennis evacuationis prodit, dum vas dilaceratum non est admodum insigne, nec sanguinis rejectio copiosa, dum sanguis ex

G . ore,

(22) Idem. Sect. 5. Aphor. 3.

(a) Idem sect. 7. Aphor. 9.

(b) Sect. 7. Aphor. 37.

ore, faucibus, œsophago in cavitationem stomachi delapsus est, aut ex intestinis proximis assurrexit, vel ex pancreate &c., nisi aliunde partium cruorem fundentium dilaceratio magna fuerit.

§. XXXIII.

Rarius excretionem a natura factam hoc malum solvitur, superveniente diarrhœa biliosa, aut calculosa, hæmorrhoidibus, vel fluxu menstruo juxta Hippocratem (c): *Mulieri sanguinem evomenti menstruis erumpentibus solutio fit.* Omnis cæterum indicatio medendi ea erit, ut minuatur nisus cruoris in ventriculi vasa, ut is nisus a ventriculo avertatur; ut causæ ad ventriculum determinantes, aut allicientes sanguinem vel enerventur, obtundantur, aut auferantur: tandem ut effusi cruoris copia absoluto jam vomitu in ventriculo, & intestinis a putredine præservetur, atque brevi ex his eliminetur, ne putridus, atque acerrimus factus sanguis pessima inducat mala.

In

(c) Sect. 5. Aphor. 32.

In paroxismo igitur alia, alia extra eundem erit medendi ratio; in illo generalibus in omni causa convenientibus, ligaturis artuum, quieti summæ, phlebotomiis sæpissime insistes, habita tamen cautela illa, ut si hæmorrhagia jam nimia sit prægressa, si metus sit, cito cohiberi non posse per venæ sectiones, ab iisdem potius desistamus, ne novam *κενυαγγείαμ*, eamque majorem per venæ sectiones inducamus, quam inductura sola hæmorrhagia fuisset; proderit tamen enema frequenter injectum, enema emolliens, leniter irritans, ut humorum motus ad infimum abdomen fiat, potissimum depletis intestinis, atque adeo minus ruat humorum ad ventriculum, restitatur motus peristalticus, & cum eo cesset vomitus: sed & potus nitrosi conveniunt, potus demulcentes, aqua simplex, & aqua frigidiuscula cum nitro, succo citri, succo granatorum, ribesiorum, aliorumque acidorum, sed eorum præprimis, quæ ventriculo amica, & grata sunt, nauseas, vomitumque avertere possunt, quæ apta nata sunt, ad sanguinem organicum tunc temporis

præsentem componendum. Tandem hic adstringentia locum obtinere præcipue in gravioribus ventriculi hæmorrhagiis, siquidem ea immediate hic applicari valent, ubi tale auxilium adferre solent, quale externe loco sanguinem fundenti applicata videmus: hic solutiones vitrioli martis, solutiones aluminosæ, succi adstringentes fructuum immaturorum apprime conveniunt, succus catechu, cæteraque adstringentia, cum hic ad locum quasi vulneratum, ad ipsos arteriarum, aut venarum apices disruptos, aut nimis dilatatos applicentur; ubi e contra in hæmorrhagia narium, aut pulmonum, ut superius ostendebam, hæc adstringentia interne minus conveniunt, utpote quæ ad locum affectum immediate applicari nequeunt.

Quod si ex illis quæ præcesserunt, ex præsentibus, vel ægrotantis, adstantiumve relatu mali causa ut plurimum manifestetur, contra hanc pugnabis: si plethora innotuerit, orgasmus; quietem summam, venæ sectiones caute, & in tempore institutas, antiorgastica, refrigerantia requirunt:

si fuerit a suppressis consuetis evacuationibus, revellentia, aut derivantia ad illa loca, per quæ alias excerni consueverant, per ablationem causæ talis suppressionis, indicantur.

Acrimonia humorum, cibi, potus, medicamenti, veneni exigit aquosa, oleosa, lactea, mucilaginosæ, diluentia, vel specifica acrimoniæ, invertentia, imo & vomitoria, si venenum in ventriculo adhuc adfuerit, neque præfente inflammatione, saltem graviore. Si vomitorio medicamento drastico inepte dato originem debeat, proderit, sint vasa varicosa, aut etiam non varicosa, disrupta, copiosus potus ex lacte, & oleo, & his consimilibus, ut irritans medicamentum obtundatur, & obvolvatur, dein vero si nihilominus persistaret vomitus, & ipsa motio corporis, violenta agitatio inter vomendum sanguinem magis magisque ad ventriculum alliceret, & sic hæmorrhagiam auget, proderit opium, non tam ut pravum irritantem stimulum educat, quod utique minime præstat, sed ut excitatos tumultus sopiat, & ventriculum reddat inobe-

dientem irritanti stimulo. Si a dissolutione humorum, ut in variolis, febribus putridis, malignis &c. accidit, febris cura instituenda antileptics, compingentibus, præcipue cortice, acidis mineralibus, aliisque optime indicatis. Si vermes, anthelminthica, evacuantia: si obstructions, solventia: si spasmi, antispastica, opiata per os, clysmata, & scuta stomachica applicantur: si humorum tenuitas, & laxitas solidorum, roborantia, adstringentia, & incrassantia: si ab hirudine deglutita, indicatio est enecare per muriam falis communis, tum evacua-re per emeticum, sanguinem adhuc fluentem cohibere per aquam frigidam, vel alia adstringentia: si violentia externa, summe antiplogistica: si bilis stimulus, solventia, evacuantia: si ulcus cancrorum, antiseptica, adstringentia, demulcentia, palliativo saltem scopo occurrent: quare decantata specifica omnia vana esse, neque tale mereri nomen, sponte patet.

Fracto hæmorrhagiæ impetu, aut finito jam vomitu, sanguinem adhuc in ventriculo, vel intestinis hærentem

attenuare , a putredine præservare, atque evacuare indicatur ; id quod præstant remedia purgantia , aciescentia , vegetabilia , ut fructus tamarindorum , cassia , manna , cremor tartari , rheum vel solum datum , vel cum myrobolanis , vel rheum tostum , atque idem solum , vel cum cremore tartari , dosi frequenti , sed exigua exhibitum , ut partim disrupta vasa ad se invicem adducantur , partim etiam , ut reliquæ grunorum alias putredinem contracturæ præserventur , & blande eliminentur.

Si lipothymia , syncope , atque virium deperditio affectum hujusmodi comitentur , ut sæpe contingit , imprimis post magnam rejecti sanguinis copiam , remediis jam memoratis cardiaca , & reficientia vires , admiscenda veniunt.

Victus ratio , quæ in hoc effectu non exiguam attentionem meretur , causæ sanguinei vomitus accommodata sit necesse est ; sic demulcens , & in-crassans in tenuitate , & acrimonia causæ morbificæ , quo in casu avenata , hordeata , gelatinæ , oryza ,

emulfiones, carnes juniorum animalium, omniaque viscosa, gelatinosa, & glutinosa edulia plurimum conveniunt; in humorum orgasmo debet esse refrigerans, & acidiuscula; in habitu eularco, & plethorico fit tenuis, & parca; in obstructionibus aperiens &c.; semper vero in omni occasione plus, minus adstringens, ut stomachi vulnus, quod maxime urget, citius coalescat, vitando cane pejus, & angue falsa omnia, acria, piperita, & nimis detergentia, verbo, quæcunque solutam ventriculi unitatem impedire, novamque sanguinis effusionem inducere possunt. Præterea modicum admodum, euchymum, seu facilis coctionis, & læpius repetitum alimentum sumat ægrotus; inter fructus cydonia condita, aut cocta, malus punica, cerasa acidiuscula, berberis fructus, imo & pulpa sorborum, atque mespilorum, parca tamen quantitate sumta, locum habere possunt; somnus sit moderatus; aer temperatus, potus exiguus, & ex decocto aliquo nonnihil subadstringente; cum succo cydoniorum, aut grana-

to-

torum ; alvus sit libera , animi pathemata æque, ac corporis exercitia nimia fugiantur.

HÆMORRHAGIA INTESTINORUM.

§. XXXIV.

Si sanguis alvo sine dolore notabili reddatur, *Diarrhæam cruentam*, aut *hæmorrhagiam intestinorum* vocant Practici.

An aliud fuerat *fluxus hepaticus* Antiquorum, quam diarrhæa sanguinea, sed dilutior, sanguine cum multo sero permixto ? morbus enim hic ita raro observatur hodiernis Medicis, ut asserat Sylvius de le Boë, celebris olim apud Batavos Practicus, & cum illo magna Practicorum præsertim neotericorum cohors, se nullum unquam hoc affectu detentum vidisse, quod dedit aniam quibusdam dubitandi, an *fluxus hepaticus* dictus, excogitatus potius fuerit, quam observatus, aut saltem, an alius quidam morbus pro hoc fluxu acceptus illis fuerit : equidem hepaticus

fluxus Veteribus descriptus est revera *non ens*, cum hi hepatis sanguificationis attribuerint munus, ex qua deficiente hunc fluxum oriri contendebant, quorum primum falsum cum sit, quod supponat sanguinem ex chylo fieri in hepate, a quo per mesaraicas venas, & portæ ramos attrahitur, atque adeo Anatomiae repugnet, & recepto nunc apud omnes Medicos motui sanguinis circulari, non potest quin ex se ipso penitus alterum corruat, refutatione prorsus indignum.

§. XXXV.

Varias illius species, diversæ, quibus debet suos natales, causæ constituunt, quas ut enumerem suadet ratio. Haud raro oritur in hominibus plethoricis, in hominibus, qui cujusdam membri amputationem, membri imprimis alicujus majoris passi fuere, qui plus sanguinis conficiunt, quam mutilatum corpus consumere possit; observatur in sedentariis, in otiosis, in laute passis, in sæminis opipare viventibus: diarrhæa hæc cessat, & de-

nno redit, atque evacuationem nimii humoris facit, facit subin vices. venæ sectionis, vel hæmorrhagiæ variæ, aut alterius cujusdam, & innoxie, consuetæ tamen profusionis sanguinæ; hinc hæmorrhagia narium, lochia, hæmorrhoides &c. suppressæ diarrhæam sanguineam producere valebunt. Observatur quoque in obstructione visceris cujusdam abdominalis, præprimis vero hepatis. Ab intestinorum læsione a rosione per vermes facta, facta a medicamentis rodentibus, inflammantibus, cantharidibus interne assumtis; novimus cantharides interne in variis morbis præcipue viarum urinariorum præstans dare remedium, sed dosi paucissima, sed datæ cautissima manu; hinc contingit, ut si dentur largiori dosi, diarrhæam cruentam efficiant. Diarrhæa cruenta observatur itidem a squilla, a corpore acri quocunque, a vitro deglutito; novimus homines quosdam vitra conterere dentibus, & deglutire innoxie; fit tamen persæpe, ut commorsum vitrum intestina vulneret, atque diarrhæam inducat cruentam. Alia diarrhææ cruentæ species est a rupta intestinorum

varice

varice ; novimus enim vasa ventriculi, & proximorum intestinorum ampliari, reddi varicosa eo prorsus modo, ut observatur in recto intestino, eadem rumpi more varicum intestini recti in hæmorrhoidibus, & inde oriri diarrhæam cruentam, salutarem subinde, si is fluxus sanguinis non sit profusus, subinde etiam lethalem. In putridissimis, malignissimis febribus, in febribus variolosis, petechialibus &c. malo quidem omine observatur diarrhææ cruentæ species, qualem in febre variolas confluentes comitantem describit Sydenhamus ; sed & in scorbuto, & in hydrope æque mala occurrit.

§. XXXVI.

Iidem omnino pedissequi habentur effectus, qui aliis præternaturalibus tam sanguineis, quam alterius generis evacuationibus succedere consueverunt ; siquidem ad cachexiam, tabem, hydropem, & similia disponit corpus, etiam *εξ κενεχυγεία* mortem inducens.

De morbi hujus eventu diversimode ominandum; si enim affectui chronico, & rebelli, variis acutis, & malignis febribus, longis diarrhæis, atque dysenteriis succedat, periculo plenus est, & sæpe lethalis; item & si cum pravo corporis habitu, in cacochymicis, scorbuticis, hydropicis &c., virium jactura, febre lenta, & viscerum infarctu confirmato junctus videatur; quod si per se incipiat ab aliqua externa causa non admodum valida excitatus, si hæmorrhoidum fluxui non valde inveterato associetur, aut fluxui alvi seroso, & recenti, Veterum hepaticum fluxum constituens, aut (quod utique aliquando contingere potest) post aquas minerales epotas, & non recte excretas superveniat, constantibus aliunde viribus, nec admodum depravato sanguine, adeo magna mala non ominatur. Dum molæ intestinorum exeunt, seu concrementa sanguinea, cartilaginea, fibrosa cum sanguine puro, quæ præcedit adstricta alvus, dolor intestinorum, imminutus appetitus, animi deliquia, & mortem

intra

intra paucos dies insequi affirmat Cell. Vogel.

§. XXXVII.

Ex idea descripti morbi, specie certe ut plurimum diversi, curam quoque variare in aperto est; quæ si in plethoricis, aut in mutilatis, in sedentariis laute pastis acciderit, plerumque medelam non petit, nisi vel nimia fuerit, vel eam prævertere volueris venæ sectione: si vices suppressæ alicujus consuetæ evacuationis egerit, curatur, aut proxima vice prævertitur, apto remedio evacuationem suppressam revocando, vel si hoc fieri recuset, instituta vicaria phlebotomia: si ab obstructo viscere quodam natales agnoverit, majorem quidem attentionem exposcit; curatur cæterum eodem modo, quo omnes sanguinæ evacuationes, methodo universali siquidem nimia fuerit; hac autem consopita, princeps morbus aptis remediis deobstruentibus, resolventibus est adgrediendus.

Neque hic præterire possum gravem observationem in præscribendis deob-

deobstruentibus remediis: si pars quædam corporis obstructa sit, & resolventibus tentetur, resolutionem hanc mitissimis primo, dein paulo fortioribus tentandam esse, sana suadet ratio, mitioribus in initio, paulatim tantum, & pede suspenso procedendum esse ad valentiora, neque præpropere & validis resolventibus utamur, aut obstructum non amplius resolubilem locum nihilominus urgeamus actuosioribus remediis, atque ita indolentem cæterum, in statum inflammatorium, & suppuratorium convertamus; sit itidem, ut remedium vis omnino non in irresolubilem solummodo obstructionem impendatur, sed in pessumdandam superstitem sanitatem; siquidem adhibitis fortioribus remediis obstructus locus adeo non resolvitur, ut potius materia obstruens altius impingatur, & superstes sanitas periclitetur penitus; atque ita contingit, ut qui vivere, obstructo loco relicto, diutius potuisset, ipsa medendi methodo fuerit e vivis sublatus; hinc si videamus effectum nullum sequi a lenioribus, non facile, nisi cautissime ad valentiora accedamus, &

ut

ut primum innotuerit, nil sequi emolumentum, tumorem antea indolentem incipere subinde dolere, illico erit ab intempestiva hac, & periculosa medicina abstinendum: verum si tumor sit ita durus, ut nil amplius organici appareat, sed si durities fere sit cartilaginea, tunc ejusmodi tumor non quidem inflammabitur, non dolebit, non suppurabitur; at vero illa remedia valida, quæ dederis, insumentur in pessumdandam reliquam sanitatem; etsi enim agant specialius præ reliquis in unam partem, non tamen agunt in eam solam, verum in totum reliquum corpus, illudque immutant, quæ remediis validis facta immutatio non potest non cedere in detrimentum ægri, qui sic peribit ex morbo factitio, ubi non periisset ex diuturno tumore.

Quod si diarrhæa cruenta causam intestinorum rosionem a vermibus factam, factam a medicamentis rodentibus, inflammantibus, cantharidibus, squilla, vitro comminuto agnoverit, anthelminthica, diluentia, mucilaginosâ, obvolventia, obtudentia, evacuantia

quantia præsto erunt: si a ruptis intestinorum varicibus eam oriri comperitum habueris, salutaris subinde erit, nisi nimium fuerit profusa, secus aptis remediis consopienda, iis omnino, quæ in hæmorrhagia ventriculi a tali causa orta mox commendabantur. In febribus putridis, malignis, petechialibus, variolosis, scorbuto, hydrope, &c. aliam medendi methodum præter generalia, & quæ morbo principi medentur, antiseptica, incrassantia, largas corticis doses, arnicam, acida mineralia, ferum lactis aluminosum, antiscorbutica &c. non agnoscit. Ubi concrementa sanguinea, fibrosa, cartilaginea cum sanguine redduntur, enemata oleosa, juscula cum oleo amygdalino laudat Cel. Vogel.

Victus ea omnino ratione instituat, ut superius in ventriculi hæmorrhagia fuerat adnotatum; aer sit campestris, purus, vel alpinus, vitentur loca humida, paludosa, vitetur quies nimia, conducit enim motus levis, & frequens, si aut nulla, aut pauca subsit febris; si autem febris extorret ægrum, quies imperetur, sed

tamen in loco aëre puro, & sicco sæpius lustrato. At si hoc fieri nequeat ob degendi necessitatem, ob temporis, & ægotantium circumstantias, aër purior, & siccior reddatur lustrando cubile fumis aromaticis.

HÆMORRHAGIA ANI.

§. XXXVIII.

Si sanguis per aperta intestini rekti vasa altius, profundiusve locata evacuetur, hæmorrhagiæ ani, seu hæmorrhoidum nomine venit. Quamquam hæmorrhoids olim significaret qualemcunque sanguinis evacuationem, utpote composita vox ex græco αίμα sanguis, & ῥέω fluo; strictiori vero sensu, & hodie in Medicina recepto, profluvium sanguinis ex vasis hæmorrhoidalibus, quæ anum interne non minus, quam externe coronant, significat; idem testatur Hippocrates toto tractatu *sect. 6. op. suor. edit. ab Anutio Foësio*, quem inscribit de hæmorrhoidibus; item *sect. 3. aphor. 30. & sect. 67. aphor. 12. & 21.* Cum hoc consentit Galenus *lib. de*

de theriac. ad Pisonem cap. 8. Imo etiam citra ullum sanguinis effluviū, pro tumore in recti intestini cavo, aut con-
finiis ab influente sanguine cum calore,
& dolore præprimis excitato, habent hæmorrhoides.

Quare in confesso est, sedem mali universim locari in vasis hæmorrhoida-
libus, tam venosis, quam arteriosis ex-
terne anuth non minus circumdantibus,
quam internis in recto intestino loca-
tis; observationibus tamen confirma-
tur potissimam saltem partem fluere per
venas hæmorrhoidales præ arteriis.

§. XXXIX.

Eam breviter modo attingam quæ-
stionem, olim præcipue quam modo
magis agitatum; an morbosus sit, an
sit utilis hæmorrhoidum fluxus, an op-
tandus, aut etiam, si fieri possit, con-
citandus arte? Quod si Stahlianos re-
spondentes audias, omnimode id af-
firmabunt, utilissimum fluxum hæmor-
rhoidalem asserentes; remedium haberi
in eo præservans, prophylacticum mul-
torum aliorum, & gravium quidem
H s mor-

morborum; quæ Stahlianorum opinio tantum valuit, ut hodieum adhuc quamplurimi inter insignia naturæ beneficia reputent, si fluxu hæmorrhoidali potiri possint; vulgatissimus evasit morbus, & adhuc satis patens non tam re, quam opinione, cum quidquid ferme affectuum encephali occurrit, vertigo, cephalalgia, temulentia, quicumque lumborum dolores, nuchæ, dorsi, & quidquid observatur in abdomine incommodi, totum refundatur in hæmorrhoides non fluentes, in fluxum hæmorrhoidalem suppressum; omnia hæc symptomata pro conaminibus hæmorrhoidum militare volunt. Verum cum Recentioribus statum hunc morbosum assero, statum præternaturalem, sint hæmorrhoides, seu cæcæ, seu fluentes, sanguineæ, aut mucosæ, vel aliæ quæcunque; præclare in rem meam Senertus (d): *Hæmorrhoides autem, inquit, pertinent ad morbos magnitudinis auctæ, cum symptomata in genere excretorum, toto genere sint præternaturam, neque enim omnium hominum est,*
ex

(d) Tom. 4. p. 473.

ex his venis sanguinem effundere, sed quorundam, & quamquam, cum moderate fluunt, utiles sunt, & a multis morbis præservant, tamen humor, qui ad excretionem naturalem stimulat, naturali modo se non habet, neque unquam sanguis, nisi in sæminis secundum naturam excernitur. Eidem assentitur Etmüllerus (e) dum affirmat: Quodcumque modo accidunt hæmorrhoidales affectus, naturaliter nemini contingunt, adeoque eorum affectus semper præsupponunt statum præternaturalem. Neque obest in casibus quibusdam hunc esse breviorum alio morbo, esse solutionem, & crism alterius morbi gravioris; fuere, & sunt aliquando salutares hi fluxus in morbis a plethora, a sanguinea stasi oriundis, in phrenitidis, mania, melancholia quadam specie, orta a nimio humorum motu encephalon petente, in epilepsia ab eadem causa, in asthmate plethorico, in colica dicta hæmorrhoidali, vel in colica orta a plethora abdominis, difficillimo, tardo, laboriosoque motu

H 3

san-

(e) T. II. §. I. p. 144.

sanguinis per vasa abdominalia, in quadam lumbagine, orta ab eadem causa, in sputo cruento, aliisque, ut mox dixeram, morbis plethoricis, in quibus venæ sectionis vices subit, & plus etiam, quam ipsa venæ sectio præstat, cum evacuet nonnunquam aptissima via, & faciat venæ sectionem quasi topicam per affectum locum; sed an propterea evacuatio naturalis dicenda? An venæ sectio naturale quid est? & tamen quod non curat morbos? equidem nemo negaverit, febres omnes tot esse ægrotudines, ubi tamen & obstructions, & chronici plures sæpissime etiam rebelles morbi ad omnem methodum, eisdem percurantur; neque vomitum, aut diarrhæam naturalem dices, solvuntur tamen his viis morbi plures. Nollem profecto quis menstruum sæminarum fluxum ad confirmationem asserti sui in medium proferat, nisi in physiologicis, & anatomicis se ignarum amet profiteri, secus enim illuc amandandus foret; præterea quare & sæminæ his vexantur?

§. XL.

Hæmorrhoides dividi communiter solent in *veras*, & *spurias*; priores in *fluentes*, si fundant humorem, pro cujus diversitate *sanguineæ*, si sanguinem, *albæ*, vel *mucosæ*, *serosæ* &c. si serum, mucum, pus, &c. reddant, & *cæcas*, si vasa in varices extendantur; in *externas*, si circa anum externe in oculum cadant, *internas*, si interius intestinum rectum occupent digito explorandæ; in *febriles*, si adfit febris, *secus non febriles*; in *inflammatorias*, *suppuratorias*, *gangrænosas*, *fistulosas* &c.; in *recentes*, si primo adorientur, & *inveteratas*, si jam sæpius adfuere; in *regulares*, seu *periodicas*, si accurate recurrant, *secus irregulares*, & *erraticas*; priores omni mense, omni tertio, quarto mense redeunt, posteriores incerto tempore, vere potissimum, & autumno, aut vere solo recurrentes Teste Ill. Præside L. B. de Storck (f); in *criticas*, si solvant, aut mitigent morbum, *secus in symp-*

H 4

to-

(f) Præc. med. præct. T. II. p. 74.

tomaticas; in *protopathicas* si solæ morbum efficiunt, & *deuteropathicas* si alium morbum sequuntur; demum pro copia effusi humoris in *moderatas*, *parcas*, & *nimias* partiri consueverunt; *spurias* constituunt *Rhagades*, vel si mavis *Rhagadia*, *Cristæ*, *Thymi*, *Fici*, &c. Verum quoniam Dissertationis meæ scopus est, hæmorrhagias pertractare solummodo, hinc omnes hæmorrhoidum species missas faciam, de iis tantum, quas *fluentes sanguineas* dicebam, verba facturus; hinc reliquas nominasse suffecerit.

§. XII.

Proxima hæmorrhoidum causa accumulatio sanguinis in hæmorrhoidalibus vasis statuitur; quidquid autem ad hoc contribuit, in classe remotarum causarum recensetur. Universalis plethora non minus, quam topica, præprimis vero ab evacuationibus neglectis, imminutis, impeditis, aut suppressis huc in censum venit; præterea infarctus qualiscunque abdominis, undecunque proveniens, a flatu intestinali

di-

distendente, ab obstructionibus viscerum abdominalium tam chronicis, quam acutis, præcipue vero hepatis, ubi portarum vena sese exonerare non valens, venæ hæmorrhoidales sanguinem majori copia recipere coguntur; venarum hæmorrhoidalium omnis compressio, qua refluxus sanguinis intercipitur, aut impeditur, utero *e. g.* gravido ultimis præprimis graviditatis temporibus, intestinum rectum, vasaque hæmorrhoidalia comprimente; huc pertinet difficilis, laboriosus partus, uteri incuneatio, sæces duræ, exsiccæ, in segniori ventre diutius accumulatae, & intestinum rectum in saccum extendentes, venasque comprimentes; diæta sicca ex indigestibilibus, farinosis, non fermentatis; calculus vesicæ, consuetudo sæces diutius retinendi; frequens intestini recti, & aliquantisper perdurans prolapsus; omnis irritatio, frictio, erosio, debilitatio, contusio intestini ejusdem, quæ fit equitatione, ventione supra strata viarum, diuturna sessione in depositione sæcum ob vaporem inde egredientem vasa hæmorrhoidalia afficientem, frequenti

clysmatum, hyrudinum, suppositoriorum præcipue acrium, applicatione; hinc & Cel. Rosenstein testatur, quandoque in infantibus fluentes nauci hæmorrhoides a rudi clysmatum, aut ficioris suppositorii applicatione; abusus quoque veneris a parte posteriori præpriinis, tenesmus, & dyllenteria diutius durans huc referuntur; sessio in mollibus, & calefacientibus fellis; morbi vesicæ urinariæ, vaginæ uteri varii; acrimonia sanguinis quæcunque, quæ rodendo hæc vasa profluvium creat; inflammatio intestini recti, ascarides, vita sedentaria, sed utique non sola, maxime si ad hanc accedat diæta lauta vinosa, spiritiuosa, aromatica; & universim vitæ regimen tale, quale observant plerumque homines nobiliores simul, & litterati, plerumque in muniis talibus constituti, ubi continua sessio requiritur; etenim si diæta vinosa, spiritiuosa, aromatica, lauta accedat, defectus sit tamen exercitii, tunc accumulatur humores præcipue in abdomine, tardissime moventur, fiet plethora, aut fiet quasi continua febricula, continuus humorum

per

per abdomen circulantium orgasmus; hinc illæ querelæ de ventriculo debili in hominibus robustissimis, pinguis-
 simis, querelæ doloris capitis, verti-
 ginis, atque malum illud refugium ad
 ulum cardiacorum, stimulantium, sto-
 machicorum in hominibus plenissimis
 alias, & succulentis, in quibus debi-
 lem ventriculum haud accuses; ficti-
 tia est hæc ventriculi debilitas, debi-
 litas spuria, observata a nimio humo-
 rum orgasmo, a nimia plenitudine;
 assumpta acria, drastica, salina, animi
 pathemata; usus illorum, quæ vi pro-
 pria, vi specifica in hæmorrhoidalia
 vasa agere videntur, aloën puta,
 myrrham, allium, piper, colocyn-
 thidem, helleborum nigrum, omnia-
 que remedia, quæ titulo emenagogo-
 rum, aut aristolochicorum nota sunt,
 huc revocanda; ea siquidem Viris pro-
 pinata, vi hæmorrhoidalem fluxum
 ciente donantur; ultimo hæreditariam
 dispositionem quoque memorat Fr.
 Hoffmannus (g), dum meminit homi-
 nis triginta annorum, qui per quindecim,

cim, & ultra annos singulis fere mensibus fluxum sanguinis hæmorrhoidalem expertus est, ad quem tota ejus familia disposita erat, tam Pater, quam Mater, & Sorores, in quibus circa annum decimum quartum, aut tertium, mensibus licet rite fluentibus, idem fluxus observatus est; notandum tamen, tubercula hæmorrhoidalia, imo & hæmorrhoides fluentes si in infantibus observantur, rarissime a dispositione hæreditaria oriri, sed plerumque deberi acrioribus suppositoriis, aut rudiori clysmatum adplicationi.

§. XLII.

More omnium reliquarum sanguinis evacuationum mala a plethora oriunda avertere, curare, & prævertere valet, eliminando superfluam sanguinis copiam, vel ad partes inferiores revellendo; eximii propterea usus sunt in capitis morbis, in morbis pectoris, abdominis; hinc summis laudibus extolluntur Boerhaavio (*h*) in apoplexia, cum sic & sanguinis minuatur copia,
&

(*h*) Aphor. 1017. de cog. & curand. morb.

& fiat a capite per vasa hæmorrhoidalia revulsio; quem locum commentatus Swietenius ita habet. „ Quotidiana docet experientia, quod illi, quibus conlucta est per hanc viam sanguinis evacuatio, varios morbos capitis patiantur, cephalalgiam, vertiginem, aurium tinnitus &c., si minus feliciter cesserit hæmorrhoidum fluxus, “ cui & Hippocrates assentitur (i). *Ex hæmorhoide parum apparente vertigines abortæ parvam siderationem brevi futuram significant, solvit venæ sectio; & quidquid hoc modo apparuerit, mali aliquid significat, idem alio in loco (k): Quæ apoplecticis veniunt hæmorrhoides salutare; imo & mania solutionem per has fieri idem (l) affirmat: Maniacis si varices, aut hæmorrhoides cesserint, mania solutio.* In cephalalgia levamen procurasse (m), curasse epilepsiam (n) legimus, præfertim

(i) Coac. Præn. n. 346 t. 8. p. 871.

(k) Idem Coac. Præn. n. 478. t. 8. pag. 260.

(l) idem. Aphor. 21. sect. 6. T. 9. p. 260.

(m) Salmuth. cent. 1. obs. 73.

(n) Raym. Fort. cent. 1. Cas. 42. 45. pag. 56 59. Zacut. Lusit. præx. adm. obs. 28. Rhod. cent. 1. obs. 65.

fertim si tales morbi a negotio hæmorrhoidali dependeant; sed & phrenitides levant testante immortalis Boerhaavio (o), & illius Ill. Commentatore; imo veteres Medici monuerunt, hæmorrhoides a pleuritide præservare, & a suppressis male hæmorrhoidibus pleuritidem quandoque fieri, in hanc rem sic habet Hippocrates (p): *Qui hæmorrhoides habent, illi nec pleuritide nec peripneumonia &c. corripuntur*; testatur quoque Galenus (q), a suppressis hæmorrhoidibus pleuritide correptos multos fuisse: salutare pronunciat Hippocrates phthificis (r): *Quæ phthificis accidit sputorum suppressio, dementiam nugacem infert, his spes est aperturam hæmorrhoidem*. In nephritide initio morbi large fluentes laudat Cel. Boerhaave (s) cum Ill. suo Commentatore; derivatur enim & hic impetus sanguinis a renibus, minuitur resistentia,

adeo-

(o) Aphor. 779. de cogn. & curand. morb.

(p) De humoribus. Textu. 26. T. 8. pag. 576.

(q) Comm. 3. in lib. Hipp. de alim. t. 6. p. 271.

(r) Coac. Præn. n. 437.

(s) Aphor. 996. de cogn. & curand. morb.

adeoque per cæliacam, & mesentericam utramque majori copia transibit sanguis; idem affirmat Divinus Vates (t): *Melancholicis, & Nephriticis succedentes hæmorrhoides, bonum; Melancholicos quoque, & Hypochondriacos a regulari hæmorrhoidum fluxu non raro summum levamen sentire* Auctor est Ill. Præses (u), præcipue si niger, & tenax sanguis prodeat; Galenus quoque (v), se observasse testatur, evacuatione per hæmorrhoides consueta intempestive cohibita, quosdam nephritide fuisse correptos. Salutariter quoque fluunt, quibus ulcera antiqua cacochymiam evacuare solita, clauduntur, quo in casu pessima sæpe inde proficisci mala, & vix sanabilia novimus.

Verum nimius hæmorrhoidum fluxus, non minus, ac quæcunque hæmorrhagia modum excedens, pessimorum malorum mater esse consuevit; unde debilitas totius corporis, cache-

(t) Hipp. Aphor. II. sect. 6. t. 9. p. 54.

(u) T. II. Præc. med. pract. p. 89.

(v) Comm. 3. in lib. Hipp. de aliment. t. 6. p. 271.

chexiæ variæ, atrophix, hydrops, & plura similia, quæ & Santorinus (w) adnotavit: *Si modum, inquit, hæmorrhoides excedunt, ut nimia sit excretio, quot morborum funebres apparatus? quantum cruciatuum armamentarium? hinc hydropes, cachexiæ, tabes; imo hoc pergente animi deliquia ex inducta ἀνελευθερία, & mors malo, & vitæ finem ponit; subita autem illarum suppressio æque gravia mala causare est vita, quod & Hippocrates (x) monuit. Qui hæmorrhoidibus laborant, neque pleuritide, neque peripneumonia corripuntur; intempestive vero curati, multi hujusmodi morbis tentati sunt, perniciose sese habentes; idem alio in loco (y) notat; ex hæmorrhoides parum fluentes abortive vertigines parvam siderationem significant brevi futuram; Cel. Boerhaave (z) inter causas catalepsiæ illorum suppressionem locat, cui & Illust. Swietenius assentitur; meminit posterior hominis*

(w) Traſtat. de hæmorrhoid.

(x) De humor. text. 26. t. 8. pag. 576.

(y) Coac. præn. n. 346. t. 8. p. 871.

(z) Aphor. 1040. de cog. & curand. morb.

Annis quinquaginta annorum sanissimi,
 cui hæmorrhoidibus malo sane con-
 silio suppressis, mira pulsus vacillatio,
 quam paulo post tensio in hypochon-
 drio sinistro versus pectus ascendens,
 & mox hæmoptoë secuta est, tandem
 omnibus ad revocandas hæmorrhoides
 frustra tentatis, & recrudescente sæ-
 pius hæmoptoë tabe mortui, ante mor-
 tem tumentis toto corpore; cæcitates,
 paralyfes, vomitum cruentum, asthma
 &c. inde ortum agnoscere, fatetur lil.
 Præses (aa). In quibusdam hydropis
 quædam species visa est inde ortum
 duxisse, qualis sæpe in Puellis pletho-
 ricis, bene partis, fluxu menstruo
 suppresso oritur, longe diversa a re-
 liquis hydropis speciebus, utpote quæ
 ab humorum turgore noscit natales;
 cessat quidem non raro etiam sine ma-
 lis sequelis hæmorrhoidalis hic fluxus
 (bb); atque tunc natura haud turbân-
 da venit.

I

§ XLIII.

(aa) T. II. Præcept. med. Prac. p. 75.

(bb) L. B. de Störck. Prac. Med. prac. T.
II. p. 77.

Quamprimum constiterit hæmorrhoidalem omnino esse talem fluxum ex colore sanguinis plus minus floridi, aut ad atrum colorem accedentis, qualem atrabilarium Auctores nominant, cum vel sine dolore de vasis hæmorrhoidalibus supra, vel in sphinctere sitis egredientis, cum fæcibus raro mixti, sed earum latera tingentis, & in subjectis quoad reliquas circumstantias hæmorrhoidariis, spectandum erit an criticus sit, an symptomaticus, an febrilis, vel minus: crisis autem per hæmorrhoides sperari potest, si reliquarum excretionum signa absint, si alias per hæmorrhoides sanguis fluxerit, si prægressa fuerit coctio, dies sit criticus, atque æger nuchæ tensionem, æstum aliquem circa spinam dorsæ, dolorem, aut tensionem lumborum, vel dolorem in abdomine percipiat (cc), si adsit tenesmus ad anum, tumor varicosus vasorum hæmorrhoida-

(cc) Senert. instit. med. 1. 3. part. 3. c. 16.
P. 912.

dalium, si fluant cum levamine morbi, virium restitutione, prægressis solitis perturbationibus, præsertim in morbis inflammatoriis capitis, hypochondriorum, & intestinorum, atque adeo in delirio, phrenitide, apoplexia &c. (dd).

Quare, si hæmorrhoides criticas esse constiterit, neque excessive fluant, naturæ committendæ; si excedant, moderandæ; si justo minus fluant, facilitandæ erunt: dum igitur indicantur, & moderate proportionateque fluunt, nil aliud Medico agendum restat, quam evitare in rebus sex non naturalibus errores ut satagat, & naturam utpote magistram optimam turbare evitet; diæta sit ex mollibus, statui præsentis accommodatis, motu corporis moderato in usum tracto; tum studeat, ne obstaculo sint sæces induratæ, & intestinum rectum clysmatibus eluat, atque si copia humorum in corpore obstaculo foret, venæ sectio in pede esset celebranda. Quod si plus justo fluant, quod ex virium imbecillitate, copia excreti sanguinis, diuturnitate

l 2

flu-

(dd) Magn. de Haen. Thes. de Hæmorrhoid.

Auxus, ex fædo, & pallido totius corporis colore innotescit, pro re nata in - & externis medicamentis malo opitulandum erit, semper causas respiciendo, quod efficitur venæ sectione, in crassantibus, emulsis, opiatibus, bolo armena, terra catechu, succo acaciæ, hypocistidis, sanguine draconis, alumine, decoctis ex radicibus adstringentibus, tormentillæ, bistortæ, corticum granatorum, corticis peruviani, acidis mineralibus, martialibus &c.; tum clysmatibus emollientibus, involventibus, potissimum in re-cto si acre irritans hæreat, & irritum conatum tenesmoideum inducendo verius has partes humores alliciat; externe fomentis ex plantis, radicibus, corticibus adstringentibus, ex aluminosis, saturninis, vitriolatis, zincinis &c.; omnibus vero palmam præripit agaricus præparatus, si loco aperto rite applicari possit. Si autem parciore fuerint, in causam erit inquirendum, qua cognita tam scopo pharmaceutico, quam chirurgico, & diætetico malo erit succurrendum; si e. g. a
spai-

spasmis vasorum, aut eorum rigiditate, vel ob spissitudinem atrabiliariam, aut quamcunque aliam causam id fiat, tunc medicamentis antispasmodicis, venæ sectione, emollientibus, balneis, semicupiis, saporibus emollientibus, solventibus medicamentis erit obveniendum; si causa fuerit acrimonia, obtudentibus, obvolventibus, specificis pugnabis. Quod si symptomaticæ fuerint; in causam itidem sedulo elaborandum, quoties a sola plethora, inductoque majori sanguinis orgasmo hoc nimium profluvium oritur, profunt quies, diæta tenuis, venæ lectio brachii, manna, tamarindi, serum lactis tamarindinatum, omniaque tamarindorum præparata juxta mentem Martialis, cremor tartari, nitrum, rheum, emulsa leniora; hæc & similia antiphlogistica eo in calu præprijis conveniunt, ubi venæ hæmorrhoidales varicosæ factæ sunt ob impeditum per eas sanguinis refluxum a scybalis duris in recto intestino commorantibus; quod si laxitas viscerum nimium hæmorrhoidum fluxum efficiat, proderunt potius parcæ, sed crebro re-

petitæ rhei, aut myrobolanorum doses, insignem tunc utilitatem adferentes; alio tempore profunt martialia in vehiculo copioso aquoso, aut etiam in sero lactis exhibita: ubi viscera obstructa fuerint, confugiendum erit ad succos resolventes, aperientes, decocta radicum aperientium cum oxymelle, fallibus; ad pillulas saponaceas addito rheo, confectas simul ex gummi ferulaceis; ad vinum rhenanum aperientibus speciebus cum marte infusum, ipse etiam subin cortex peruvianus convenit, item aquæ martiales, pirmontanæ, spadanae, schwalbacenses, in nimio hæmorrhoidum fluxu a debilitate & laxitate viscerum oriundo insignem adferunt utilitatem; quod si vires a nimia sanguinis jactura facta conciderint, juvabunt interne præter recensita bolus armena, terra catechu, & quæ paulo ante dicebam; externe vero spiritus vini, vel etiam acetum, solutio aluminis, vitrioli, sachari saturni, acetum lithargyrii cum aqua calcis ope spongiæ ano si applicentur, proderit itidem vinum rubrum gallicum, aut budense, decoctum e

malicorio , radicum adstringentium, tormentillæ, bistortæ, elota prius alvo, in rectum intestinum injicere; optime autem agaricus præparatus, ut superius monui, si loco aperto rite applicari possit, prodest; quamprimum autem profluvium sanguinis notabiliter imminuitur, adstringentium internum usum seponendum suadet III. Præles (ee). Febriles si fuerint, correspondens & feбри, & fluxui medela est facienda.

Haud raro accidit, ut sæminæ mensium loco hæmorrhoidibus, succenturiata quasi evacuatione laborent, atque conceptui ineptæ reddantur; quapropter ad hoc malum corrigendum lento pede est progrediendum, & nunquam illico sistendus fluxus, sed prius uterus medicamentis has in partes agentibus, in- & externis, a lenioribus incipiendo est præparandus, ac dum nisum jamjam persentiscere incipiunt, hæmorrhoides externis lenioribus roborantibus sunt supprimendæ, ut sic catameniis præsentibus optatum

scopum assequamur; nam si roborantibus, adstringentibus illico in hæmorrhoides ageretur, malum pejus semper foret timendum; etenim sanguis per has vias excerni assuetus, utero derelicto quamcunque corporis partem minus resistentem petere, atque pro ratione visceris, & partis varia mala, pejora prioribus producere potest.

Curato immodico hæmorrhoidum fluxu dicti affectus recursum impediendo graviter erit incumbendum, quod apprime fiet victus ratione convenienti, exercitio modico, phlebotomia identidem celebrata, laxata, & expurgata, benigne tamen, alvo, referatis primarum viarum, & viscerum ductibus; balneis denique, vel aquarum mineralium, vitriolarum, nitrosarum, aut aluminosarum, ferratarum, aut etiam thermalium usu, prout viscerum, aut ipsius sanguinis diathesis postulare videbitur; caveant sibi maxime circa fluxus tempus ab omnibus induratis, concoctu difficilioribus, inflantibus cibus, spirituosis, gravi animi commotione, ira præprimis.

HÆMORRHAGIA VIARUM URINARIARUM.

§. XLIV.

Sanguinem cum vel sine urinis effluentem, easque rubro colore plus minus pro sui copia intenso inficientem, *miſtum cruentum* vocant Medici.

Una licet via se manifeſtet hic ſanguis, varios tamen agnoſcit fontes; ſiquidem a renum, ureterum, veſicæ, aut urethræ ſanguineis apertis vaſis eſt petendus.

Diagnofi miſtionis cruentæ nulla opus eſt, utpote quæ iſtis habetur oculis; cave tamen ne urinam bile, atque ſale copioſis ſaturatam, & ab iisdem rubefactam pro cruenta accipias, quod ex madefacto urina lintheo, & inde croceum colorem induente tibi plane conſtabit, aut etiam ex rubore ſplendente, & perſpicuo, quæ tamen ſanguis urinæ miſtus opacum magis, aut turbidum facit: quo vero ex loco cruor manet, determinabunt doloris locus, copia excreti ſanguinis, phænomena urinæ ejeſtæ, ſymptomata conjuncta;

↓ 5

quàm

quam vero difficulter id fiat, nemo in artis opere verſatus ignorat : qui e renibus exit ſanguis copioſior eſt, & urina magis dilutus, atque permixtus, ſine dolore erumpens ; præclare in rem meam Hoffmannus : *Quod ſi ſanguis ſincerus confertim, & ſine dolore mingitur, ex renum ſubſtantia ſanguineo-vaſcuſoſa illuri prodiſſe ſciendum ; quod & Heurnius (ff) affirmat : a rene qui mingitur ſanguis, & copioſus eſt, & urinae exacte miſcetur, videturque tota urinae conſiſtentia nihil aliud eſſe, quam tenuis ac dilutus ſanguis, mox tamen recedit liquidus, minimeque cruentus, & rubicundus.* Dum calculus ex renibus per ureteres deſcendens, aſperitate ſua vaſa ureterum dilacerat, non raro hæmorrhagiam dolore atroci ſtipatam cauſare ſolet, quam ab ureteribus venire ſuadet dolor in regione lumbari, & adjuncta ſymptomata, nauſea, vomitus, iſchuria &c., quin etiam in hac profuſione ſanguinis una cum urina minguntur arenulæ, ſabuloſæ particulæ. Ex veſica prodire ſanguinem inde
noſci

nosci affirmat Hoffmannus : *ubi parcior sanguinis quantitas , obscuri , nigricantis coloris , cum vel sine materia purulenta , maxime si cum dolore & ardore in pube sub mictione vel post eam redditur , tunc ex vesica læsa illum stillasse certum ;* hujus autem præsentis doloris mox reddit rationem, eam in structura vesicæ quærens ; in genere enim partes membranacæ longe exquisitius sentiunt , quam partes parenchymatolæ ; deinde qui ex vesica mingitur non exacte permiscetur urinæ sed in fundo depositus grumescit. (gg)

In hæmorrhagia urethræ sanguis etiam absque urina effluit continuo stillicidio, non mictu, sincerus, nullique humori permixtus, cum dolore inter mingendum, & plerumque vim, seu iætionem externam agnoscit ; nonnunquam in coitu fit cum voluptate sine omni urina , sine dolore.

§. XLV.

Divisionem præsentis mali ipsæ diversæ causarum constituent species; eo autem omnia reducuntur, quæ vasa renalia dilatant, aut solvunt continuitatem, qualia sunt: plethora, evacuationes solemnes sanguinis suppressæ cum specifica quadam, & individuali renum laxitate, ac debilitate: aucta circulatio quacunque ratione, seu per febrem, seu per exercitia corporis validiora, quæ sanguinem uberiores ad renes determinare valent, qualia cursus, equitatio, vectio in curru, præcipue per viarum strata, unde tam frequens equo, aut curru longiori tempore vectis miætus cruentus: calculus sed is non qualiscunque, verum asper, & angulosus a sede sua ubi impactus erat, divulsus, sive per motum, aut corporis exercitium vehemens, renes, ureteres, aut vesicam vulnerans: urinæ copia dictas partes nimium distendens, aut ejusdem intensa acrimonia illas ipsas erodens: virus venereum per obscœnum concubitum in urethræ tubum immissum, præ-

sta-

statam , & ipsius ductus membranas in maribus sensim exedens , & in fæminis collum , seu uteri vaginam : injectiones nimium detergentes , acioresve in vesicæ , aut uteri canalem , vel cavitatem , ad ulceris (si quod adfuerit) deterfionem propulsæ : coitus effrenatus , & immodicus : acria quæcunque ingesta , eaque præprimis , quæ vim quamdam specificam , & in renes agentem , atque diureticam possident , qualia vesicantia , cum omnibus cantharidum præparatis , seu illa externe applicentur , seu illorum internus fiat usus ; novimus enim miçtum cruentum ab ipsis vesicantibus largiter applicatis ortum fuisse , novimus secutum miçtum cruentum ab assumpta tinctura cantharidum , seu contra tussim convulsivam , seu contra inveteratas , & rebelles gonorrhæas , seu etiam scopo aphrodisiaco ; quamvis inferre nolim , tincturam cantharidum debere penitus ex Medicina exulare , cum præstantissimæ , certæque obervationes existent utilissimi hujus remedii , verum hic abusum velim intelligas : non minus corpora balsamica cruentant urinam , eam siquidem movent,

movent, & subinde inflammationem excitant in systemate uropoëtico: item vapores arsenicales, sulphurei, tincturæ variæ antimonii, graviditas, plenitudo, pellendo sanguinem in vesicæ vasa: tumores alii in abdomine, ut hydrops sacculus præprimis venas iliacas premens: acrimonia peculiaris sanguini inhærens, morbillifera, utique non sola, sed aliunde mutuata ab alio morbo cum morbillis complicato; acrimonia variolifera, sed & hæc æque non sola, si eam sic velis compellere, petechialis, & universim materies illa febrilis, quæ febres putridas, malignas efficit cum ingenti, & sæpissime lethali sanguinis dissolutione; notum est siquidem terribile illud in malignis febribus, variolosis, petechialibus symptoma mictus cruenti: materies rheumatica ad vesicam delata: abscessus, & renum ulcera renalem substantiam exedentia aliam constituunt causam: fasciatio nimis arcta in infantibus: catheter rudiori manu ad calculi explorationem, aut urinæ extractionem introductus: vis externa regioni lumborum ictu aut lapsu illata; facta

facta renum sugillatio, contusio: quibusdam periodice hic miſtus cruentus redit, cauſam in ſuppreſſione alicujus ſolemnis evacuationis atteſtans: quibusdam hæreditarium eſt vitium, vix curandum, quidam effæminati inde redduntur, & lacte turgidas habent mammas teſte Cl. Vogel.

Neque prætereire hic poſſum quin eam attingam miſtus cruenti cauſam, quæ hæmorrhoidibus veſicæ debet ortum, ubi verus ſanguis ruber, qui alias per vaſa hæmorrhoidalia inteſtini recti evacuari conlueverat, modo vero per veſicæ vaſa in ejuſdem cavum, vel & cavum urethræ effunditur, atque adeo modo cum, modo ſine urina prodit, prout hæmorrhoides in veſicam, aut urethram aperiuntur; contingit hoc ab hæmorrhoidibus nonnunquam anomalis, ubi ſuppreſſo hæmorrhoidum ordinario fluxu, ſanguis vaſa hæmorrhoidalia lateralia petit, atque ob anastoſationem vaſa veſicæ illum præprimis recipiunt, unde ad veſicam decumbit potius, diſtendit illius vaſa, diſtentaque ſubinde rumpit, hinc miſtus cruentus non a renali, ſed a varico-

ricolo vitio vesicæ ipsius, oritur, ubi sanguis cum dolore, ardore ad pubem, cum tensione, & præssione in regione perinæi, interque summos mingendi conatus exprimitur, oborta etiam nonnunquam lipothymia, & sudore frigido, id quidem in Viris potissimum, & illis præprimis qui sunt hæmorrhoidarii.

§. XLVI.

Longus forem si effectus mictus cruenti proferre in medium vellem, & jam toties repetitos, denuo recoquere conarer; siquidem non alios, quam quos & aliæ hæmorrhagiæ, agnoscit, excepto loco, unde effluit, ubi & localia mala producere, inflammationem, suppurationem, ulcera varia, & tabem renalem est visus.

Prognosis quoque ex copia excreti sanguinis, morbi diuturnitate, variaque ipsarum causarum parientium indole, gravitate, atque contumacia, varia a Medico institui debet; idcirco copiosus cum urinis excretus sanguis, & mictio cruenta frequens, ac perse-

ve-

verans, nisi illa a fluxu menſtruorum, lochiorum, aut conſuetæ alterius evacuationis dependeat, periculum ſemper ſecum adjunctum habet; minus vero dum ab exigui, aut capillaris vaſis ruptione procedit, modo aliunde gravem cauſam non agnoſcat: quodſi ab inflictò vulnere, a calculo, ulcere, inflammatione, urinæ ardore, gonorrhæa &c. miſtus ſanguinis exciteſtur, exitum ſuis cauſis aliunde notis proportionatum habeat neceſſe eſt; in putridis, malignis, varioloſis &c. febribus, in hydrope miſtus cruentus vix non ſemper eſt ſignum lethale.

§. XLVII.

Curationem miſtionis ſanguinæ pro cauſarum diverſitate variandam in aprico eſt; ea tamen in ablatione cauſarum, & apertorum vaſorum conſtrictione occupari debet: ſumma corporis quies in omni miſtu cruento convenit, venæ ſectio repetita, utique non in omni miſtu, ſed in eo qui oritur a plethora, a ſugillatione, vique illata renibus, qui oritur

K poſt

post equitationem validam, vectionem in curru per strata viarum; in eo qui ab orgasmo humorum, profunt emulsa nitrosa, & oleosa quævis, diæta minus nutriens: si fiat a dissolutione humorum in variolis, febre putrida &c., compingentibus, antiseptis, cortice, acidis mineralibus, erit pugnandum: si ab acrimonia humorum, hæc tollenda involventibus, inviscantibus, corrigentibus, specificis; si a calculo, vasorum laxitate, rheumate &c., hæc sua methodo tollenda; profunt itidem subinde suis positis causis purgantia, sed ex roborantium classe petita, maxime rheum, & mirobolani, mannam quoque in se utilissimam expertus est Sydenhamus; ad renes laxos corroborandos, faucios vulneratosque consolidandos, serviunt varia remedia subadstringentia, consolida, equisetum olim adeo hunc in usum celebratum, cortex peruvianus, rheum tostum, martiales, acidulæ aquæ, schwalbacenses, ipadanæ; ipecacuanham parca dosi laudat Cel. Dahlberg, Cel. Murray succum herbæ veronicæ cum vino rubro & sacharo cochleatim da-

datum commendat. Opium quoque non raro prodest; accidit nempe nonnunquam ut sanguis ex renibus depluens, inque ureteres delatus, grumosus factus, in uretere hæreat, ibi loci præcipue ubi ureter vesicam, ejusque tunicas subit; generantur tunc symptomata quasi nephritidem calculosam referentia, spasmi, convulsiones, dischuria, & ischuria nascitur sæpe capitali cum periculo, nisi una emollientia, oleosa intus, forisque exhibeantur, nisi cum emollientibus remedium summe antispasmodicum, & crispatas fibras relaxans, opium dixerim, in auxilium vocetur; prodest quoque in mictu cruento ab hæmorrhoidibus vesicæ, tum & in eo, ubi erosa & exulcerata est vesica urinaria, a calculo vesicæ ipsius, eandem rodente, vel vero a morbo illo Hippocrati *scabies vesicæ* appellato, cujus diagnostica signa ita est complexus: *quibus cum urina crassa, quædam fursurosa una exeunt, his vesica scabie laborat (hh);* verum non a sola tali urina licebit in-

K 2

fer-

ferre vesicæ scabiem, siquidem & in febris acutis talis sæpe, excernitur; sed si nulla adsit febris, & adsit pruritus, ac dolor in interiori parte vesicæ, ex ejusmodi urinis vesicam scabie infestari hariolari licebit; convenit pariter in mictu cruento a quocunque alio vetio vesicam exulcerante; etenim tunc mictus sæpe cruentus difficillimus, laboriosus, dischuria, ischuria observatur; prodest tunc remedium narcoticum tanquam remedium saltem pallians ad obtundendum stimulum, ubi interea reliqua indicata remedia omitti non debent. Ne vero coagulatus forte sanguis in renibus, aut vesica morans calculo commodissimam occasionem præbeat, epotis diluentibus, & mellitis solvendus, atque expellendus erit.

Qui semel mictu hoc affecti fuere, vitent diu exercitia validiora corporis, equitationem, unctionem in curru per strata viarum, diuretica, atque ea omnia quæ vias urinarias lædere possent; vitent decubitus in dorsum, decubitus etiam quemcunque diuturniorem.

HÆMORRHAGIA UTERI.

§. XLVIII.

Præternaturale sanguinis ex utero profluvium *uteri hæmorrhagiam* communiter vocant Medici, ut a menstrua, & omnibus ut plurimum sæminis communi evacuatione distinguatur.

Quoniam vero plura dantur tempora ubi hæmorrhagiæ uteri observari solent, hinc etiam pro hac diversitate, hæmorrhagias hujusmodi diversas spectare licebit, in tot quasi species subdivisas; alia enim habetur hæmorrhagia Virginum, Gravidarum alia, alia Puerperarum; memorabile quoque tempus est provec̄ta ætas, illa scilicet, ubi jam menses incipiunt cessare, & emanere; demum hæmorrhagiæ observantur indefinito tempore, si ulcus cancrösium in utero, aut circa eundem fuerit, quod subinde copiosius fundit sanguinem.

§. XLIX.

Tempore menstruæ purgationis fluxus quantitatem consuetam sanguinis excedit, veramque hæmorrhagiam refert, si vel diutius perseveret, & cum copiosiori sanguinis rejectione, vel si frequentius, quam debet ex naturæ lege, recurrat.

Quia de sanguinis menstrui quantitate nil certi statui potest, licet ab unciis ij ad x. illam determinare quidam velint, cum id dependeat a variis causis; abundantior enim in regionibus calidioribus, sæminis magis plethoricis, otiosis, laute pastis, salacioribus, laxæ temperiei &c. habetur, & contra; cumque duratio pariter variet, imo in eadem sæmina variare solet diversis periodis; patet, ex his menstruorum fluxum nimium desumi non posse; verum potius ex difficili tolerantia, functionibus læsis, virium lapsu, inappetentia, cachexia, sædo faciei colore diagnosi petenda; possent enim profusiores esse menses a peculiari quadam idiosyncrasia, sic nimia lalacitate, adeoque semper attendendum

dum quæ fœmina eosdem ferat; nam si his elapsis bene tamen se habeat, nulla indiget medicina, & sana pronunciari potest, Teste Ill. Præside (ii).

§. L.

Causæ nimii hujus fluxus multiplices omnino habentur, quæ tamen omnes ad sequentes reduci possunt: ad plethoram, orgasmum humorum quacunque ratione procuratum, orgasmum vino multo, vel etiam saltu inductum, inductum quacunque validiori corporis aut animi commotione, emmenagogis, motu febrili mensibus instantibus, aut etiam præsentem menstruo fluxu; inde contingit, ut menses fluant magna, imo nimia quantitate, & veram constituent hæmorrhagiam; sed etiam tempore menstruationis alia subinde ratio est, cur catameniorum loco oriatur hæmorrhagia uteri, laxitas scilicet debilitasque ejusdem; quæ laxo sunt utero, nonnunquam copiosos, & antevertentes patiuntur menses, ita

K 4 ut

(ii) L. B. de Störck. Præc. med. pract. T. II. p. 157.

ut omni secunda, aut omni tertia septimana per integros ferme octo dies fluxum menstruum tolerant, sed non jam fluxum menstruum, verum uteri hæmorrhagiam: plethora itidem non universalis totius corporis, sed topica, seu localis solius uteri non raro copiosum hunc fluxum inducit; hæc autem varias agnoscit causas, sic spasmos abdominales in hysteriis, & hypochondriacis, ventriculi, intestinorum, sanguinem majori copia urgentes, atque majori impetu versus uterum; ab alvo diutius retenta, a scybalis multis, duris, difficulter exclusis; a biliosa colluvie restitante in ventriculo: tempus anni hic quoque in censum venit; certa siquidem res est, & ab ipso Hippocrate jam dudum observata, ab aliis Cl. Viris sæpius visa, vis vel in ipso toties memorato Nosocomio binis, aut tribus annis; certa inquam res est, dari quasdam anni constitutiones, ubi menses abeunt in uteri hæmorrhagiam eodem simul tempore, dum epidemica & popularis habetur æmorrhagia uteri, ubi simul observantur abortus frequentissimi, quales

les etiam descripsit Hippocrates; tempus illud vernalis plerumque est, ubi Mares præprimis pleuritide, aut etiam sputo cruento laborant; id autem accidere tunc videtur, quando post frigidiora emorientis hyemis tempora, ver subito ingruit, & paulo lætius tempus, humores subito rarefiunt, fit illorum orgasmus, plethora, unde & crisis oritur, & plethoræ solutio per hæmorrhagiam salutaris equidem nonnullis, & bona crisi, aliis autem inepta fit morbi solutio, imo & prava quidem, graviolem utpote inducens morbum, fit scilicet sputum cruentum, aut etiam uteri hæmorrhagia, crisis utraqne non satis apta: acrimonia sanguinis itidem nimium hunc fluxum excitare valet; acrioribus etenim salibus nimium onustus sanguis occlusionem vasorum impedit, aut multum retardat, quorum apertura fluxus perennatur: sanguinis tenuitas in variolis, peste, febre maligna; morbi uteri, quales polypi, scyrrhi, cancri &c. idem præstare valent.

Effectus mensium nimiorum iidem omnino sunt cum aliis evacuationibus nimis, sic æquilibrium fluidorum ad solida destructum, se-& excretiones turbatæ, perversa circulatio, debilitas, inappetentia, anxietas, coctio difficilis, degeneratio humorum in acrimonias varias, spissitudinem, cacochymiam, unde febres lentæ, tumores oedematosi, cachexia, fluor albus, atrophia, phthisis, leucophlegmatia, hydrops, dissolutiones, syncope, extremorum frigus, convulsio, mors; vitia præterea topica vaginæ, uteri, eorundem debilitas, unde conceptus difficultas, facilitas abortus; univrsim quæ semel morbo hoc graviter laborarunt, valetudinariæ plerumque remanent.

Quoniam omnis & diuturna hæmorrhagia periculosa est, hæc quoque periculo non vacat; hoc tamen magis vel minus imminet pro ratione copię excreti sanguinis, & fluxus diurnitate, statu ægrotantis, & symptomatibus inde procedentibus; in mulieribus,

bus senescentibus nimia menstruatio plerumque est incurabilis ; infausta prognosis quando supervenit convulsio , aut si ab insanabili morbo uteri ortum agnoscat.

§. LII.

Ut cura exactior & felicior instituat, ea ad causas dirigenda venit ; hinc si plethora universalis corporis, orgasmus humorum culpandus sit, præter ea, quæ in omni hæmorrhagia laudantur, profunt venæ sectiones in brachio institutæ, prodest potus posca ex aqua & aceto, aut succo citri, potus acidiusculus ex spiritu vitrioli, potiones nitrosæ : si ab uteri laxitate causa sit repetenda, profunt præter generalia, epithemata frigidiora ex aqua & aceto applicata ad perinæum, adplicita ad pubem, cinnamomi essentia, balnea frigida celebrat Tissotus ; Sydenhamus autem emplastrum adstringens lumbis apponere, venam secare, atque adstringentia præscribenda suadet ; Cl. Whytt laudat serum lactis aluminosum ea ratione paratum, ut in lib. j.

lactis

lactis drachma una aluminis coquere-
 tur, atque edulcoratæ sufficienti quan-
 titate lachari colaturæ, quater de die
 valculum ut lumeretur, est author;
 injectiones roborantes, turundæ intru-
 sæ juvalunt, etiam cucurbitulæ ad
 mammas more Hippocratis (kk); tan-
 dem sufflaminata, consopitaque peni-
 tus hæmorrhagia, uterum laxiorem fir-
 mare proderit, cui scopo diversa pro-
 pmodum satisfaciunt remedia, aquæ
 spadane suadente Hoffmanno, aliis-
 que, martialia alia, pillulæ Sydenha-
 mi ex limatura Martis, & extracto
 absinthii confectæ, essentia cinnamo-
 mi; neque vellem quis objiciat a mar-
 tialibus, a cinnamomo augeri potius
 hæmorrhagiam debere, siquidem vi
 sua stimulante solida irritant, ut intra
 datum tempus citius vibrent; hoc uti-
 que concessero, verum cum Cel. meo
 Pathologiæ, & Materiæ Medicæ Pro-
 fessore Matthæo Collin æternum mihi
 colendo Viro dicam, hac ipsa ratione
 tonum restitui vasis, ut minus dilaten-
 tur, & ut citius sese contrahant, at-
 que

(kk) Sect. 5. Aphor. 50.

que hæc est ratio, cur talis fluxus ab horum usu sub initium augeatur, & dein ad debitum redigatur moderamen; vasa enim antea minus laxa facilius cedunt stimulo, qui illis additur per martem, per cinnamomum, hinc fluxus major, per repetitam autem hanc actionem firmantur omnia solida, restituitur elater, ne tam facile cedant, sustinetur hæmorrhagia: convenit in eodem casu cortex peruvianus parca, sed repetita, & longius protracta dosi propinatus, neque paucis laxissimum uterum sanatum legimus solo rheo, mirobolanis, rheo præprimis tosto, maximam vero partem ubi largus & difficilis fluor albus aderat, celebratum quoque est decoctum aurantium subviridium, aut aurantium nondum maturorum a Ludovico Septalio frequenter adhibitum, decoctum id adhibebatur a Riverio multis modis, atque illi magis medicatum reddebatur extincto in eo chalybe, junctis aliis ferratis remediis; cortex aurantium interior albus, fungosus, vim potissimum adstringentem exerit, qua etiam hic summopere commendatur,

tur, flavedine utpote magis stimulan-
te hic minus proficua, adeoque abra-
sa; diæta roborans, siccans in uteri
laxitate, suppresso jam actuali fluxu,
nimium quantum prodest, præcipue
prodest abstinentia a potu theato, quo
perstante, immedicabilis est uteri la-
xitas, immedicabilis fluor albus; vi-
num rubrum gallicum in prandio, &
in cœna modicis dosibus assumtum;
succus catechu cum aliis roborantibus,
ferratis forma pillularum propinatus;
multis certe modis hic succus Boer-
haavio ad hunc scopum celebratur; Me-
adius fortiora quoque propinavit, vi-
triolum, alumen; noti sunt utique
illius pulveres ex alumine rupeo, &
sanguine draconis confecti; perperam
forte hi pulveres exhibentur, ut tan-
quam stiptici actualem hanc hæmorr-
hagiam sistere possint, cum potius pro-
sint exiguis dosibus dati finito jam ni-
mio sanguinis fluxu ad eundem aver-
tendum, ad tonum uteri laxum, ad
tonum totius systematis restituendum:
si topica plethora uteri fuerit accusan-
da, pro diversa ejusdem causa, me-
delæ quoque erit discrimen; etenim

si alvus dura, longiori tempore sup-
 pressa id præstiterit, auxilium feret
 alvam ducens remedium, enemata
 crebriora, purgationes mannatae cum
 sale amaro; videram tali ratione Ju-
 venculam Nro. 45. decumbentem, cui
 uterus a longo tempore crebro, &
 largo sanguinis fluxu manabat; sed
 alvo suppressa, difficili, laboriosa,
 exhibito omni mane rheo, & demum
 roborantibus, brevi recuperata sanita-
 te Nosocomio valedixisse: verum alia
 est medela, si hæc momentanea, tem-
 poralis, localis uteri plethora a spas-
 mis ventriculi, intestinorum, alio-
 rumque viscerum, a spasms sangui-
 nem versus uterum fortasse laxiorem
 urgentibus, ortum duxerit; profunt
 etiam tunc omnia titulo antispasmodi-
 corum nota remedia; mentha, cha-
 momilla, castoreata, opiata &c., tum
 celebratae doses ipecacuanhæ refra-
 ctæ tamen ita, ut ipsius vis inter so-
 las vomituritiones, & nauseas conti-
 neatur; certissimæ sunt observationes
 gravissimarum uteri hæmorrhagiarum usu
 ipecacuanhæ sublatarum, datur autem
 hujusmodi scopo ad gr. $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$ par-
 tem

tem cum pauxillo sachari, datur omni quadrihorio pulvis, ut sic continua quædam in ventriculo oriatur irritatio, qua facta, spasmi alibi existentes, solvantur, vel quacunque alia ratione, sufficiat nobis certos nosse effectus, & certas habere observationes, licet de vera rei explicatione haud constet; sed etiam hæmorrhagiæ uteri observantur a topica ejusdem plethora, ob bilem in utero hospitantem, quas ipecacuanha pariter compescit, sed non exiguis mox memoratis dosibus, verum ad solemnem usque vomitum propinatis; sat notæ sunt hæmorrhagiæ hujusmodi, quarum plura exempla in T. I. Materiæ Medicæ Cl. Murray occurrunt, ubi virtutem hujus radicis describit, quo etiam in loco plurimas, omnes, aut saltem potiores tales observationes adnotat: ubi vero ob anni tempus id acciderit, tempus anni vernum, ob orgasmum ortum a vernali calore, venæ sectiones occurrent, nitrosæ potiones, enemata, atque, cæterus omnis antiphlogisticus apparatus: quod si acrimonia sanguinis, tenuitas, morbi uteri

peculiares malum produxerint, præter generalia hæmorrhagiam inhibentia, quæ in specie hujusmodi morbis convenire dicuntur, in usum vocare licebit; diæta sit causæ accommodata, tenuis, incrassans, facilis digestionis, involvens &c.; si dolorifici fuerint menses, & aucto dolore hæmorrhagia crescat, laudani liquidi gtt. 50. in aqua rosarum in clysmate Cel. Whytt exhibet.

§. LIII.

Triplicem in gravidis observo sanguinis fluxum, ab invicem omnimode distinguendum; primo fluxum menstruorum Gravidarum, secundo fluxum hæmorrhoidalem Gravidarum, & demum fluxum sanguinis nuncium abortus.

Gravidis ut plurimum una adhuc post conceptionem vice catamenia, utut parcius, fluunt; sunt, quæ ultra medium graviditatis tempus fluxum menstruum patiuntur, sæminæ scilicet succo plenæ, & quæ plurimum sanguinis conficiunt; quare cavendum Medico, ne ad Gravidam vocatus cata-

meniorum hunc fluxum pro fluxu habeat abortum præfagiente, & vanum Gravidæ metum incutiat; hic sanguis non ex utero, sed ex vaginæ vasis profundi videtur.

Distinguuntur autem catamenia ab alio fluxu sanguineo, si fluxus hic nullam agnoscat causam, quæ abortum procurare solent, quasve postmodum enarrabo; si absque lumborum dolore, atque torminibus fuerit, si absque consueto parturientium periodico tenesmo, quamvis & menstruantes abdomine doleant, & lumbis; si alias durante graviditate talem fluxum omni mense sit passa, si demum regularis sit fluxus, qualis mensium esse solet, vel impetuosus, & periculum minitans.

Etsi per se nil mali portendat hic catameniorum fluxus, tamen cum abundantiam humorum notet, consultius esset aliquo ante consuetam periodum menstruam tempore, venam brachii secare, cum orgasmus menstruum fluxum præcedere, & comitari solitus, atque major ad uterinum systema sanguinis affluxus sic prævertatur, avertaturque: quod si quædam Gravidæ
men-

menses patiatur, suaderi semper circa menstruum tempus deberet quies, & refrigerans victus ratio, vitanda omnia animi pathemata, ne incitator sanguis, ab alia quadam adventitia caula nexum placentæ cum utero solvat, & abortum efficiat; in dubio autem casu injungenda summa quies, & decubitus, refrigerantibus emulsis, & venæ sectione utendum.

§. LIV.

Fluxus quoque hæmorrhoidalis Gravidas exercet multis ex causis; vel enim erant jam olim hæmorrhoidibus obnoxia, vel iisdem cruciantur modo ab utero distento, hæmorrhoidalia vasa præmente, vel sunt hæmorrhoides ab alvo plerumque in gravidis dura, difficilique: quod si talis hæmorrhoidum per vaginam fluxus, abortivæ hæmorrhagiæ metum incuteret, sedulo Medicus quærat, oportet, an consuetudinalem per alvum jam sæpius passa fuerit fluxum, an periodicum hoc re-ditus sit tempus, an communibus hæmorrhoides concomitantibus stiperetur

symptomatibus ; digito facta exploratio varices hæmorrhoidales in vagina deprehendens, hæmorrhagiæ speciem clarius demonstrabit.

Hæmorrhoidibus his ani, aut etiam hæmorrhoidibus labiorum pudendi, & vaginæ plerumque solum palliative medemur, alvum continuo liberam servando enematis oleosis, item eccoproticis, magnesia &c., diæta parciori, diæta refrigeranti, vegetabili, sero lactis, emulsis nitrosis &c.

§. LV.

Hæmorrhagiam abortus prænunciam, utpote majoris momenti pensatius, ut disquiram, suadet ordo, jubet ratio. Stillicidium habetur sanguinis, quod tamen ab aliis distinguas vellem; hoc siquidem comites habet partus dolores, dolores abdominis, lumborum ad inguina protensos; datur enim, & aliud stillicidium superius allatum indolens, vel saltem destitutum his pariendi conatibus, stillicidium ex varicibus ruptis, stillicidium hæmorrhoidale vaginæ, & pudendorum, quod

quod innoxium est, sæpe etiam salutare; stillicidium menstruum, sed de his abunde superius. Verum stillicidium hoc nuncium abortus esse, eo magis in diagnosi confirmaberis, si & reliqua abortus futuri consuleris signa, quæ breviter sequentibus complectar: mammarum antea intumescensium tempore graviditatis, repentina extenuatio, collapsus, lac aquosum fundentium teste Hippocrate (ll), latera arcta, & venter supremus angustatus, abolita foetus sese moventis sensatio cum lassitudine, horror, frigus, & subsequentes dolores a lumbis incipientes, protensi ad umbilicum, indeque pergentes ad inguina, dolores cum nisu quodam pariendi, & tenesmo deponendi urinas, per intervalla semper minora redeuntes, distinguendi omnimode a spuris partus doloribus, utpote qui regulares non sunt, quia in variis plagis incipientes, & desinentes, jam ex umbilico ad lumbos, ad latera &c. pergunt, adsunt dolores colici, neque præcedit horror, nisi simul veri ad-

L 3

sue-

(ll) Aphor. Sect. V.

fuerint dolores , osculum uteri humidum , mollius , hians , post quemlibet dolorem magis apertum Teste Ill. Præfide (*mm*) , aquam , serum rubellum , sanguinem fundens.

§. LVI.

Causæ hujus hæmorrhagiæ illæ prope modum habentur , quæ abortum procurant , quas in medium proferre , curæ diversæ suadet ratio ; causa proxima , placentæ aut ovi ex toto , vel ex parte solutio , ab interna uteri superficie bene statuitur ; ubi remota in Viro , ejusque semine , in Matre , in Fœtu , in causis demum externis quibuscumque in Matrem , & Fœtum agentibus est quærenda.

Equidem non semper Mater abortus est culpanda , neque illi semper medicina est facienda contra habitualem abortum , cum & Genitor non raro inculari debeat ; ex semine profecto depravato Viri , lue contaminato , Viri venere , morbisque aliis exhausti ,
de-

debile prognatum germen ad maturitatem vix perveniet; frequentior tamen causa in Matre ipsa locatur: huc primo in conspectum venit impotentia uteri sese ultra certum terminum extendendi, uteri peculiaris quædam rigiditas, dispositio quasi, & conditio quædam cartilaginea, ita ut ad certum modo, determinatumque gradum usque distendi possit uterus, quem si attigerit excrelcentem fœtum excludit; probabilis hæc causa, si fœmina bis, terve eodem graviditatis tempore abortum patiatur, neque antea grandio-rem fœtum enixa sit: debilitas, & laxitas totius corporis nativa, aut etiam adventitia a morbis prægressis, a vitæ genere, seu localis solius uteri, a fluore albo diu antea præ- sente, a frequenti prægresso partu, dispositione hæreditaria, morbo hysterico, venere immoderata, & onania: Matris ætas nimis tenera teste Hippocrate (m), ubi humores adhuc pro materni corporis nutritione impenduntur, ita ut fœtui nutrimentum deficiat: irritabi-

L 4

li-

(m) Sect. 5. Aphor. 44.

litas nimia; febres variæ acutæ qualescunque, putridæ præcipue, exanthematicæ, longæ, rarius intermittentes, & nonnisi in paroxysmis longioribus, validioribusque; plethora vera, seu copia sanguinis reapse major, quam quæ apte vasis possit contineri; plethora spuria, quæ molem humorum utpote rarefactorum majorem solum mentitur, in orgasmo ab animi pathematibus ira præprimis, vino, saltu &c.; plethora ad spatium, si nempe eadem humorum quantitate manente, ipsum spatium venosum, & arteriolum arctetur, & angustius reddatur, ut fit terrore; terror in sensibilibus frequentissima est causa abortus; frigore magno subitaneo &c.; quare si diuturnum, & austrinum teporem hyemale excipiat frigus magnum, siccum, boreale, abortus erunt frequentes; sed & gaudium accedens inopinatum abortum procurat; plethora topica systematis uterini in spasmodis a variis animi pathematibus, aliisque causis, aut etiam si humores alliciantur ad uterum pediluviiis, balneis, stimulantibus; evacuationes nimix per alvum, per vomitum, purgantia etiam

mi-

mitiora sed frequentius repetita, vel etiam, minus frequenter sed drastica, & maxime resinosa; emetica, validiora præprimis, neque indicata a morbo, alias id petente, emetica antimonialia, vitriolata; sed & diuretica, utpote quæ non tantum in systema uropoeticum, sed & in uterum, atque uterinum totum systema agunt; emenagoga omnia circa tempus alias menstruorum præprimis sumpta, omnia orgastica, vinosa, spirituosa, exercitia valida corporis, saltu, cursu, & quocunque alio motu abortum procurare valent. Methodus est Puellarum quarundam, abortum sibi procurare satagentium, earum præprimis quæ clam conceperunt, ut repetitis purgantibus utantur, utantur purgantibus drasticis, aut etiam emeticis, atque iis non quibuscunque, sed drasticis, vel vero emeticis variis vitriolatis; nonnunquam confugiunt ad emenagoga, eaque validiora, quæ ex sabina, aloë, aliisque consimilibus parantur, etenim abortiva specificè talia nulla dantur, nulla dantur talia,

quæ vim immediate exerant in foetum, nisi simul vires suas ostenderint in ipsa Matre, & vires simul deleterias; verum hæc abortiva omnia reduci debent ad nimias evacuationes sanguineas; notum enim est vel in vulgus ipsum, quasdam scopo abortum sibi procurandi venam curare secari vicibus repetitis in pede præprimis, quamvis votis sæpe frustrentur; etenim debilitatem sibi inducunt, & sanitatis jacturam pro toto fere vitæ tempore non raro, & tamen foetum retinent usque ad legitimum pariendi tempus, quem debilem quidem admodum, & vix vivum excludunt: ad purgationes alvinas nimias, & hyperemeles; vel vero reduci debere ad emmenagoga validiora, sabnam, succinum, aloëtica longiori tempore adhibita, crocum, myrrham &c.: causa quoque abortus sunt morbi uteri varii, fluor albus diuturnus, quamvis observentur fluore albo vexatæ & extra graviditatis tempora, & sub ipsa graviditate foetum retinentes usque ad justum pariendi tempus; fluor albus non qualiscunque, sed malignus, venereus præ quocunque alio abortum cau-

causare solet, ubi vel difficulter concipiunt, vel conceptum dimittunt facillime; prolapsus uteri, vaginæ, scirhus, cancer, abscessus, ulcera, polypus, hydrops uteri; morbi adjacentium partium, vesicæ urinariæ præcipue cum magno dolore conjuncti, ut in calculis, ischuria, stranguria; alvus dura, & colon distentum duris fæcibus, unde uteri expansio, & libertas præpedita; hæmorrhoides dolentiores, atque inde nata hæmorrhoidalis colica; fistulæ, & prolapsus ani, tenesmi, dysenteria, diarrhæa exhaustiens teste Hippocrate (oo); vomitus si modo violenti sint, & diuturni; excipiuntur autem vomitiones illæ primorum mensium, quæ tamen raro ultra quartum mensem distenduntur, licet aliquando etiam ultimo graviditatis tempore vomitus oriantur, sed ab utero ipsum ventriculi fundum urgente, sollicitante; excipiuntur & vomitus a saburra biliosa; tussis difficilis, longa, convulsiva; morbi convulsivi varii ad ipsam usque epilepsiam, siquidem vel
sub

(oo) Aphor. sect. 5.

sub epileptico paroxysmo excluſorum foetuum habentur exempla ; hydrops varius ; excretio lactis nimia, ſive hoc fiat lactatione, ſive ſponte, abortum procurant ; contingit enim ſubinde, ut Nutrix clanculum concipiat, aut vero ut Mater propriam prolem lactans iterum gravida fiat, ablaſtari tunc infans debet, ne & lactanti, & foetui detrimentum inferatur.

Cauſas abortus in foetu abſolvunt : monſtroſa magnitudo, gemini, trigeni, hydrocephalus, hydropicus aſciticus, convuſus, mortuus ; ſola magnitudo foetus utut non monſtroſi in Matre parvula ; nimii foetus motus ; vitia varia ſecundinarum ; funiculi nimia longitudo, aut nimia brevitās, hydatides, ſteatomata, hydropes, ulcera, ſcirrhi, & variæ aliæ funiculi umbilicalis, aut ſecundinarum, degenerationes ; aberrationes placentæ a ſua conſueta ſede, placentæ orificio uteri ſuperextenſæ ; utero enim grandefcente, & uteri cervice, ac ore diſtracto neceſſe eſt, ut ſuperextenſa placenta pariter diſtrahatur, atque illius
nexus

nexus inde solvatur, sequatur tunc hæmorrhagia lenta, initio parca, frequenter repetens mente septimo, profusa demum; neque tamen semper abortus sequitur si placenta ori uterino superextensa sit; sunt enim quæ legitimo nihilominus tempore pariunt; verumtamen quodocunque pariunt, erit semper is partus cum insigni, & lethali sæpe sanguinis jactura, aut hæmorrhagia conjunctus.

Hæmorrhagia ab hac causa orta illis qualitatibus, quas mox recensebam ab aliis hæmorrhagiis noscitur, tum quod in hac specie sub ipsis pariendi doloribus sanguis profluat copiosius, ubi contra in aliis hæmorrhagiis sub actuali pariendi conatu nil prodit; verum id adhuc melius obstetricantis manus decidet, quæ præviam placentam a membranis ovi distinguet facile; plura in arte obstetricia Cl. Levret legi possunt, qui primus hæc omnia accurate descripsit. Sed & abortus causa hydrops ovi censetur, seu aqua inter membranam utramque collecta, & nimia earundem tenuitas.

Ad causas externas aëris nimias vicissitudines refer, si post mollem, tepidam, & austrinam hyemem, ver ficcum, & frigidum sequatur ipso teste Hippocrate, frequens erit abortus; cur autem id fiat, ratio in promptu est; fit enim tunc temporis plethora ad spatium, sed manente quidem eadem sanguinis copia, arctabitur, spatium ab aëre atmosphærico frigido, vasa arteriosa, & venosa subito constringente; hinc prout epidemica menstrua, ita & epidemicos abortus in Nosocomio certis annis, & annorum constitutionibus videre licuit; quos tamen facile præcavebis deplendo vasa, ut debita humorum ad solida remaneat proportio: huc quoque pertinent motus, nixus validi in elevandis ponderibus, elevationes subitæ brachiorum, vectiones supra strata viarum, saltus &c., vulnera, lapsus, ictus, vestimenta nimis arcta, thoraculi potissimum in iis, quæ clandestinam graviditatem celare conantur; nimia venus graviditatis tempore, quæ certe eo in statu exulare deberet penitus.

Unde certa formari possit prognosis sequentia notanda occurrunt: mente primo abortus est frequens valde, & observante Hippocrate primis quadraginta diebus frequentissimis contingunt abortus, plerumque tamen absque magno incommodo, certe absquæ magna hæmorrhagia; atque adeo quia ejusmodi ovuli exclusio sine magna molestia, atque pariendi magno labore contingit, & exclusi nondum sit ea evolutio, ut foetum distincte dignoscas, abortum vocare nolunt Medici; mense secundo, & tertio complures pariter contingunt abortus, attamen paulo rariores quam primo mense, plura, majoraque incommoda secum habent, stillicidium, & deperditionem sanguinis majorem, diuturniorem, attamen rarius hæmorrhagiam strictè sic dictam, eamque periculosiorem; hinc quo serior abortus accidit, eo majus est ab hæmorrhagia periculum; cæterum secundo, tertio, quarto, imo & quinto mense raro quædam perit ex abortu; equidem multum, quin & plu-

plurimum sanguinis, at non simul & semel, verum pedetentim perdunt, hinc minus mulctantur a fluxu uterino; juvat hoc scire ne nimium trepidemus instante hoc abortu, atque fluente sanguine, ne omnem apparatus sistendi sanguinem mox adhibeamus, & ne adhibeamus sæpe remedia morbo ipso graviora, cum raro, aut nunquam pereant Gravidæ ex fluxu sanguinis hoc tempore orto. Abortus secunda vice rediens eo periculosior est, qui prima vice observabatur, tertio, quartove recurrens complures post se abortus trahit, ut tandem habitualis evadat. Periculosissimus est vi quacunquæ procuratus, lapsu in abdomen, percussione, assumtis drasticis purgantibus, emeticis, emenagogis; validam enim in utero factam mutationem notat, siquidem non sequitur abortus nisi post validissimam actuosissimi remedii actionem, quod remedium omnium primo in Matris tansitatem, tum in foetum agit. Visa profecto tristissima fuere exempla in toties memorato Nosocomio procurati abortus, dum Matres una cum foetu

perierunt, & quidem, eo ipso momento, quo abortus sequebatur, ubi sæpe tenellus foetus Matri supervixit; sic visus est vomitus enormis post assumtum sabinæ infusum secutus, & ob vomitus vehementiam ruptura vesicæ bilis, atque integra libra fellis exrupta vesicula in abdomen effusi; in alia fœmina visus est vomitus vitriolo veneris initio excitatus ad procurandum abortum; vomitus hic continuatus perstitit integris sex septimanis rebellis ad omnia oblata remedia, donec ægra emaciatissima assiduo ex alimenterum, & medicamentorum vomitu, ab atrophia perierit, ubi vix non sub ipso primum agone foetum ejecit; alia ex assumtis pillulis drastice in hepatidem incidit. per quam itidem finem posuit vitæ. Abortus scorbuticarum, languidarum, debiliumpericulosi, periculosus a placenta prævia; abortus febre putrida, aut dysenteria laborantium vix præcavetur; abortus nondum habitualis, & initians adhuc, sanguine nondum, aut paucoviso, ex causa transitoria in corpore cæteroquin bono, cito adhita exquisita

sita medela, frequenter sistitur; ast si adsint veri dolores partus, frequentius de tempore in tempus recurrentes, vix inhibetur abortus; facilius præpeditur ore uterino adhuc clauso, duro, stricto, quam hiante, molli, laxo; fluore albo diuturniore laborantes procliviores sunt in abortum; uti & quæ menses patiuntur profusiores, & quæ venæ sectionibus abutuntur.

§. LVIII.

Ad feliciter sistendam hæmorrhagiam omnium primo eo Medentis dirigatur attentio, ut causam, quæ placentæ nexum tollere conatur, noscat; quæ si adhuc adsuerit, si possibile fiat, removeatur, qua semota, res omnis feliciter cedit, totumque negotium vel nulla medela, vel modica omnino adhibita votis respondet, & integre restituitur nexus; concilianda est quies, ligaturæ artuum, & horizontalis decubitus in quacunque causa imperandus, demum urgentioribus symptomatibus ab illa causa remota prodeuntibus est succurrendum; quoniam vero diversæ cau-
sæ

læ separationem placentæ facere valent,
 hinc & divertæ methodo patet locus;
 sic *e. g.* vestes nimium adstrictæ in
 Puellis clanculum gravidis factis solven-
 dæ; plethora, undecunque nata, mi-
 nuenda per celebratam in brachio phle-
 botomiam, datis potibus refrigeranti-
 bus, nitrosis; in abortu a febre in-
 stante, optimum erit remedium id
 ipsum, quod febrim tollit; in valido
 impactu ad abdomen ea occurrent,
 quæ magnis contusionibus medentur,
 venæ sectio, potus emollientes, nitrosi,
 cataplasmata, & fofus emollientes,
 vel emolliendo - discutientes ad locum
 sugillatum adplicati; in abortu ab acri
 intestina irritante *e. g.* ab assumpto pur-
 gante resinoso, proderunt ea ipsa, quæ
 dolores colicos, & irritationes intesti-
 norum sopiunt, deliniunt, sic mucila-
 ginosa, oleosa &c.; ab æstu nimio, in-
 solatione, humorum rarefactione un-
 decunque, & quacunque causa produc-
 ta proderit imprimis phlebotomia, re-
 frigerantia interne assumpta, applicata
 externe; a spasmis hystericis, terrore,
 juvabunt antihystERICA ore assumpta,
 per modum scuti applicata regioni ven-

triculi, regioni abdominis, aut more quorundam ad lumbos; ridicula reliqua sic dicta retrahentia Veterum dispensationum emplastra: si a nimis evacuationibus, præter generalia juvabit blandissimum jusculum, eaque omnia, quæ penuriam humorum aliqua ratione emendare possunt.

Hæmorrhagiam a prævia placenta initiantem quies solatur, & suspendit, cum parca venæ sectione in brachio celebrata, decubitus perpetuus ferme in lecto, diæta, & medicina antiphlogistica, refrigerans; at vero aliquantum progressam, neque his obedientem, nil sistit, nisi uteri plena evacuatio, uteri evacuatio accelerata; hinc prompte oportet immissa manu placentam ori uterino superextensam, & aliquantum jam solutam, solvere penitus, & versum infantem arreptis pedibus extrahere.

Ante quintum mensem si remedia interna, quies & tranquillissimus in lecto decubitus, venæ sectio, epithemata actu frigida ad pubem, ad pudenda applicata, ligaturæ artuum si non juverint, manus obstetricia erit inutilis; hac

hac enim tempestate, hoc graviditatis tempore necdum uterus sufficienter distentus habetur, ut vel manu, vel instrumentis quid efficere possis; totum quod fieri potest, erit, ut foetus jam solutus, sed hærens adhuc in ore uterino, vel hærens in vagina, digitis fors inmissis eximatur; sed versioni, aut aliæ cuidam operationi obstetriciæ ob uterum hoc tempore nondum sufficienter dilatatum, locus non erit; contingit quoque ut foetu dudum expulso tempore hoc ante quintum mensem secundinæ diutissime remaneant, per unum, duos, tresve etiam dies; & universim quo maturius contingit abortus, eo difficilius secundinæ abscidunt, quamdiu enim hæc resistant, tamdiu sanguinis fluxus continuat, quo in casu penitus, & ex toto res committenda est medicatrici naturæ; non enim manibus datur accessus, neque instrumentis, neque etiam aliis pellentibus remediis urgendæ, verum tranquille erit expectandum usque dum singulari benignitate naturæ expellantur; fors tantum artuum ligaturæ adhiberi queunt; possunt quidem ingeri juscula non

nimis tepida, ut Puerpera refocilletur, & materies quædam pro nutrimento substituatur; post sextum vero mensem extrahi quoque non debent, possunt tamen juvari immiffa manu.

In omni abortu si pariendi veri adfint dolores, si intensiores fiant, crebriores, ore uteri magis magisque dilatato post singulos dolorum affultus, abortus præcaveri amplius non potest, neque potest ille, qui plures habuit prædecessores: duplex tunc spectandus est status; vel enim adest hæmorrhagia stricte fit dicta, & major jactura sanguinis, quam solet fieri instante partu, vel vero omnia ita procedunt, prout id observamus in partu legitimo; in primo casu uterus cito evacuari debet manu obstetricante fœtu verso, perque pedes extracto, quod quidem sexto, & terioribus mensibus fieri potest, non autem citius; siquidem neque opus est, cum hæmorrhagiæ ante quintum, aut ante initium saltem sexti mensis longæ quidem esse possint, sed nec tumultuariæ, nec largæ; jacturam enim sanguinis multo facilius tolleramus, si fiat pedetentim, quam si eadem

dem quantitas, aut etiam minor simul quasi, & semel profundatur; in secundo autem casu, ubi non nimum sanguinis perditur; id quod scire possumus usu, inspectis linteaminibus, optime vero testimonio ipsius *Ægræ*, si jam sæpius pepererit, aut etiam assertionem Obstetricis probe exercitatæ, totum negotium naturæ committendum more legitimi partus, dando non valida, non stimulantia, sed innocentibus solando *Ægram*, injiciendo enemata emollientia, vel levissime simul stimulantia, ut citius negotium compleatur.

Difficillima est curatio abortus habitualis, eaque distinguenda in eam, quæ fit instante abortu, & eam, quæ extra tempora graviditatis occurrit, abortu jam finito: instantem abortum ea ipsissima solantur, quæ allata antea fuere; verum omnis opera ponenda erit, ut corpus extra graviditatis tempora præmuniatur, ut mala hæc prædispositio, & abortiendi habitus tollatur; tum paulo ante illud tempus in graviditate, quo alias solebant fieri abortus, accuratius spectandum; qua-

re extra graviditatem morbosa omnia tollenda, & cum plerumque laxitas, atque atonia peccet, constat, roborantia, martialia tanti usus esse; sic in fœminis debilibus, hysteris, habitualis abortus subinde præcaveri potest, si secundo, aut tertio graviditatis mense dentur longo usu, & moderata dosi roborantia, ubi cortex peruvianus, martialia &c. dictante Ill. Præfide (pp) commendantur; imo tali in casu solum foliorum aurantium infusum bis de die ad partus usque tempora sumtum idem sapientissimus Vir juvasse est expertus; ante illud tempus, quo alias solebat abortus fieri, vitandæ excitantes causæ, sic vestitus arctior, hinc deponendi thoraculi, venæ sectiones intempestivæ, quæ inconsulto Medico nunquam instituantur, venus omnis, motus nimius, elevationes ponderum, nixus quiscunque, saltus, incessus per loca glacie obducta, animi pathemata, rixæ &c.; hominum concursus, ne a turba irruente lædantur, comprimanturque; spectacula, quæ animum valde

(pp) Præc. med. pract. T. II. pag. 161.

e commoveant; caveant ab inspectu epilepticorum, justificatorum, funambulorum, neque narrentur Gravidis Puerperarum mortes, tristes nuncii &c.

De usu opii hic quædam adhuc adferam, licet & superius plura dixerim, cum adeo solemnis in abortu ipsis sæminis, & fere in omni præternaturali sanguinis fluxu sit illius usus. Duplex omnino status a Medico distinguendum debet in sæminarum abortu; primo scilicet, utrum placentæ jam facta sit actu major, minorve avulsio, aut utrum solummodo jamjam instet: quod si cruor floridus magna copia, & intra breve tempus sub intensis doloribus per vices erumpat, si grumos adeo secum vehat, si orificium uteri exploratum laxum deprehendatur, certissime scimus, placentam ex utero magna ex parte secessisse, abortum inevitabilem esse, quoniam placenta ad novum cum utero coalitum extra omnem artis potentiam est locata; in hoc primo casu, abortu, ut ita dicam, jam fiente, & præsentem, juvabit potius missam facere inanem omnem operam abortus evitandi, & quantocyus manu fœtus extra-

tionem procurare nullis licet præsentibus doloribus, & viribus Matris per hæmorrhagiam nondum exhaustis; nil esset in hoc rerum statu damnosius, quam si cum adstringentibus adeo adamatis ad minuendas hæmorrhagias opiata porrigerentur, quidquid ab Autoribus sane multis eam in rem dici sit solitum; etenim opiata nullam hæmorrhagiam directe sistunt, sed eam augent potius; aliter longe res se habet, (estque secundus casus) dum scilicet in Gravida quocunque gestationis tempore dolores in lumbis, in osse sacro versus pubem vergentes, cum extremorum frigore, torminibus ventris, & conatus abortiendi adest, nullus tamen sanguis sese manifestat, aut dummodo sanguinis fluxus paucus sit, & stillicidium placidissimum intervallatim recurrens, modo is sanguis non tam ex utero, quam ex vaginæ vasculis prorumpat, uteri orificio tunc temporis exacte clauso; hic certe antequam vi spasmodum, & affluxus sanguinis, communitio inter placentam, & uterum solvatur, & antequam abortus reddatur inevitabilis, prodesse opiata

poterunt, verumtamen cum quiete summa injuncta simul, & situ horizontali Gravidæ post administratam primam venæ sectionem, qua in re incipiens hæmorrhagia, & abortus prodromus nonnunquam præoccupatur. Nollem tamen soli opio semper confidas neque in hoc altero abortus initiantis casu; etenim in sæminis robustis, plethoricis, præcipue narcoticis non est fidendum sine præmissa venæ sectione, sine debilitata aliquantum vi vitæ noceret opium; nocerent quoque opiata in abortu instante, si id post iram gravem, post exercitationem validam, post spirituosos potus assumptos, & universim post omnem humorum majorem rarefactionem, ubi adhiberi refrigerantia, una alterave venæ sectio deberet.

Quare vides, male in omni abortu adhiberi semper eandem methodum, male semper venam secari, adstringentia, & opium propinari, frigidum acetum pubi, & pudendis imponi; licet enim hæc bona sint, tamen certis solummodo præsuppositis causis opem ferunt, & indicantur.

Verum in his fors limites propo-
 siti mei tranſcenderam? materiæ gra-
 vitas ſit culpanda.

§. LIX.

Accedentibus legitimi partus tem-
 poribus obſervantur quoque hæmorrha-
 giæ, verum minime confundendæ cum
 ordinario ſtillicidio ſanguinis ante, &
 ſub partu præſente; ad determinandas
 vero hæmorrhagias uteri non incon-
 gruum erit, ſanguinis in naturali partu
 profundi ſoliti poſſe quantitatem de-
 terminare; varia certe menſura ſtatui-
 tur, licet certa regula dari nequeat, a
 ℥ β ad ℥ ij., rarius plus profundi
 artis obſetricæ Magiſtri docent, quam-
 vis nil certi hac in re ſtatui poſſit;
 cæterum menſura capi poterit a cogni-
 tione prægreſſi (ſi quis jam fuerit)
 partus, ex aſpectu, ex pulſu, utique
 non ſolo, ſiquidem falleret in lipothy-
 miis aliunde accedentibus, qui tamen
 dum viget, ſecuros nos reddit abſen-
 tiæ nimix ſanguinis jaçturæ; hæ au-
 tem contingere obſervantur ante, in,
 & poſt partum; quarum omnium cauſa
 proxima

proxima est semper divulsus ex toto, vel pro parte nexus placentæ ab uterinis vasis; quibus autem remotis causis id debeatur, dicam: ante, & sub partu fit hæmorrhagia primo ob placentam præviam, & osculo uteri superextensam, cujus rei rationem alias dederam; secundo ob præmaturam placentæ solutionem foetu nondum excluso; oritur tunc hæmorrhagiæ quædam species, quam internam appellant, cum fluxus hic non observetur ore uteri obturatõ per foetum ipsum; noscitur autem talis hæmorrhagia ventris aucto tumore, pallore faciei, animi deliquio, pulsu parvo, inæquali, intermittente, extremorum frigore, sudore frigido totius corporis, unde mors brevi Matris, & Foetus sequitur, nisi cito extrahatur foetus, ut uterus se contringere queat; diversæ autem occurrunt causæ, cur placenta maturius solvatur, cur solvatur foetu nondum excluso: sic cohæsiõ minus firma, funiculus nimis brevis, collo foetus circumflexus, idem abruptus, avulsiõ partialis placentæ, ob rupturam uteri, fors ob convulsiones foetus, fors a ruditer immissa Ob-

stetri-

stetricantis manu , & rudiori instrumentorum apparatu.

Medelam in priori casu superius jam attuleram; in reliquis vero unica talus erit , partus acceleratio , quæ quidem diversa ratione contingit ; vel enim versione , si is adhuc sit situs , & foetus altitudo , ut pedibus arreptis extrahi possit ; quod si caput jam in pelvi hæreat , partus tunc Levretiano forcipe applicato absolvi debet ; foetu vero extracto , uteri contractio erit urgenda , promovendaque , nisi ea sponte contingat , modis paulo inferius exponendis.

§. LX.

Crebriores uteri hæmorrhagiæ contingunt post partum itidem ex diversis causis trahentes originem ; sic ab uteri atonia , deperdito ejusdem elatere ; uterus enim ultra modum distentus aquis , foetu monstroso , gemino , trigemino , seu foetu hydropico , & tympanitico , vim suam contractilem vividam amittit ; hinc eo a foetu , & placenta evacuato , attamen cito sese non

non contrahente, patula manent orificia vasorum, hanc causam cæteris multo frequentius agnoscit; nec quocumque tempore observatur, verum mox a partu insurgit, mox exclusum foetum sequitur; ab adstantibus sæpe non advertitur, non observatur ab initio, verum tunc primo, quando Mater cum morte jam luctatur; etenim cum mox exclusum foetum, & secundinas insequatur, cumque sine dolore, cum lipothymia, cum syncope tunc temporis, quando recens Infans adstantium oculos in se rapit, accidat, Puerpera derelinquitur, non observatur; quare excluso foetu videndum, quantum, & quamdiu sanguis fluat, neque a Puerpera discedendum, quoad securi non fuerimus ab hac hæmorrhagiæ specie, donec viderimus formari globosum corpus supra pubem; quare omnia ea sint ad manus, quæ ad hanc sistendam requiruntur, aqua calida æque, ac frigida, acetum, syrinx, linteamina &c.: hæc illa est hæmorrhagiæ species, in qua tinctura cinnamomi tantopere celebratur, ubi etiam vinosa, motus, & frictio abdominis commendantur; ve-

rum his solis non fiderem, sed cum injectionibus frigidis, adstringentibus, immixtis turundis: vis vitæ debilis ob sanguinem jam deperditum, ob morbos prægressos, cacochymiam, chlorosum, post frequentes partus, & abortus; partus nimium durans, difficilis, placenta majoris molis, & præter modum magna, & fors aliæ ignotæ causæ hanc uteri inertiam producere valent. A partu totius ovi integris membranis, & placenta, ubi pelvis originarie nimis ampla fuerit, facillimus, & celerrimus fit partus, verum non æque felicissimus, cujus ratio facile patet; cum enim integrum ovum, cum membranis omnibus repente, celeriterque excluditur vasa uterina hiantia se tam brevi tempore contrahere non poterunt, nec effluenti sanguini ponere obicem; sed & ubi quidem integrum ovum simul & semel non excluditur, verum fœtum cito, & facile præcedentem ubi secundinæ mox insequuntur, fit itidem sæpe hæmorrhagia; novimus enim, uterum primo aquas expellere, dein, postquam aliquantum contrahebatur, excludere fœtum

tum novis doloribus, novos denuo pariendi conatus oriri, ut quodammodo de novo pariant secundinas; per gradus dein uterus incipit contrahi, non simul & semel, sed pedetentim: pone jam ternos, ut ita dicam, hos partus, aquarum nempe, foetus ipsius, & secundinarum sese nimis cito insequi, uterus evacuabitur, priusquam novas vires collegerit se contrahendi, hinc habebis hæmorrhagiam. Ab uteri vulneribus violento instrumentorum usu illatis; item a violenta placentæ avulsione, a placenta semiavulsa; quamdiu enim placenta ex toto adhuc cum utero cohæret, vasa sanguinem postmodum profusura sunt adhuc obturata; at vero si placenta semiavulsa sit, per illa uteri orificia vasorum patula in loco, in quo soluta placenta habetur, sanguis profluet; at vero illa vasa claudi possunt minime, ob prohibitam a placenta adhuc restitante uteri contractionem; etiam placenta ex toto avulsa, sed adhuc in utero commorans, atque adeo illius prohibens contractionem, hæmorrhagias causat. A grumis sanguinis majoribus

6b spasmos oris uterini fors diutius collectis, prohibentibus uteri contractionem. Ab inversione uteri completa, vel incompleta; prior rarior occurrit, visa tamen ab artis obstetriciæ Magistris, descriptaque; ubi scilicet ab imprudenti, violentaque funiculi tractione, uterus extrahebatur, invertebaturque totus; inversio hæc plerumque, aut vix non semper est lethalis, nisi eodem momento repositio fiat; etenim fit strangulatio, inflammatio, gangræna; visa tamen est inversio uteri chronica completa, non lethalis; incompleta frequentius occurrit in partu accelerato, & præcipiti; fundus uteri tunc inversus ad os illius usque, ad usque vaginam pergit, inde prolapsa pars ab osculo uteri contracto incarceratur, strangulaturque. Ab uteri ruptura, eaque varia; vel enim tota ejusdem substantia finditur, ut sanguis in abdomen effundatur, vel ejus os, aut superficies interna vulnere læditur, substantiam non penetrante; prima species semper lethalis, minus vero altera. Dolores quoque posthumi hæmorrhagiam causant, at non

omnes, sed validiores, & continui tantum, dolores majores solito, dolores assidui post partum si oriantur a nervorum, & uteri crethismo, hæmorrhagiæ dant occasionem, alliciendo humores ad locum irritatum, & patulis modo vasis compositum; non vero dolores illi necessarii cum conatu pariendi, dolores periodici, qui adesse debent pro excludendis secundinis.

§. LXI.

Diversas in tanto malo adhiberi consuetas methodos in medium adferam, ubi quæquæ valeat adnotans.

Venæ sectiones primo celebrant; verum eas in uteri hæmorrhagiis illis, præcipue quæ post partum sequuntur, nunquam locum habere credo, nunquam eas indicari in hæmorrhagiis sub, & post partum sequentibus; aliud est, si sit solum stillicidium leve, stillicidium tale a motu nimio corporis in Gravida cum metu abortus, ubi spes adhuc superest, abortum prohibendi, ut superius monebam. Adstringenti-

bus secundo uti solent, sed neque hæc in magnis modo dictis hæmorrhagiis quidquam profunt; novimus lethalem hæmorrhagiarum vim, easque intra breve tempus enecare; sed & novimus adstringentia ore assumpta tardius agere, & nonnisi post multas septimanas roborando tantum corpus, & intra tam breve tempus ad vulneratum locum pervenire non posse; interim tamen cum graves Authores suppetant, qui pro usu adstringentium in hæmorrhagiis pugnant, disquirendum restat, an plane nunquam profint, & danda sint? si adsit hæmorrhagia sed parca tantum, tarda, recurrens per longiora intervalla, proveniens a peculiari quadam corporis laxitate, adstringentia tum conveniunt, in talibus parvis, tardis hæmorrhagiis, aut stillicidiis potius per longiora intervalla recurrentibus, ortis a debilitate ægram sensim conficientibus, scopo roborante profunt; novimus enim adstringentium refractas doses, succi catechu &c., aluminis ipsius longiori tempore propinatas, insigniter roborare, atque ita roborando comprimere lentas hæ

& chronicas hæmorrhagias ; hinc omnem adstringentium usum non damnamus, ut adeo dicamus etiam summo opere indicatum, sed suo loco tantum, suoque tempore. Narcoticis alii pugnant: opium equidem in omni hæmorrhagia profusiore certo nocere, ut & in illa quæ intra paucum tempus enecare valet, ausim dicere, prodest indirecte solummodo, ubi hæmorrhagiæ causa irritatio fuerit, ubi hæmorrhagia crescit continuo cum dolore, stimulum irritantem non quidem auferendo, attamen sopiendo, languorem quemdam, quamdam inertiam temporariam saltem inducendo; non secus ac sopiri videmus ab ejusdem usu mictum cruentum, proveniente ab irritante calculo, non utique illum evacuando, sed inertiam ad tempus saltem inducendo irritatis nervis; quare si dolores posteri dicti adeo validi fuerint in corpore nimium irritabili, ut ipsa dolorum exacerbatio, & sævities humorum majorem motum ad uterum cieat, atque hæmorrhagiam excitet, sopiendo dolores, atque adeo hæmorrhagiæ causam, sistet quoque sanguinis fluxum,

qua effectum, quo in casu opium una cum spiritu vitrioli prodesse testatur Cl. Askow (99). Ligaturis plures sanguinis hunc nimium fluxum impedire fatagunt; ligaturæ a paucis damnantur, commendantur a plerisque; certum est, has non convenire si strictissimæ fuerint, ita ut & arterias comprimant, verum si solummodo comprimant venas, arteriis liberis utpote difficilius comprimendis, puto eas convenire, qua moram facientes in sanguinis reditu; verumtamen in majori malo insufficientes sunt. Situs horizontalis, aut talis, ubi caput, & thorax declivis esse solet, omnino confert, estque unicum remedium ad impediendam synopen in hæmorrhagia quacunque, licet eam utilem judicemus, cum orta lipothymia sanguinis hæmorrhagia facilius sistatur; verum in illa minime conducet, quæ ab uteri atonia oritur. Celebrantur & lotus, potusque frigidus, ad faciem, crura, lumbos; injectio adstringentium in uterum a Galeno jam commendata, postmodum vero

ro efficax hoc, & præsentaneum hæmorrhagiarum quarumdam remedium neglectum ferme jacuit: est certe unicum quasi, quod uterum possit in contractionem ciere, urgereque, unicum quod in atonia uteri indicatur; memorant ipsum spiritum vini, præcipue referente Smellio, quo injecto hæmorrhagias sopitas affirmat; alii quidem acetum purum; alii oxycratum frigidum injecere; servit hæc injectio in utero evacuato, vacuo, ab atonia sese non contrahente, & ita quidem, ut vix aliud habeatur potentius, & magis præsentaneum remedium. Exemptionem demum volunt corporis alieni; optime id quidem: verum quid faciendum, si peregrinum corpus uteri contractionem impediens eximi reculet, *e. g.* foetus, aut secundina trimestris semiavulla? quid si impetus profluentis sanguinis injectum liquorem non admitteret? si syrinx non esset ad manus? ruri? urgentissimo in casu? juvant lintea carpta, juvat tunc magna turunda in vaginam, & ipsum, si fieri possit uterum intrusa, aceto, aut oxycrato imbuta; prodest autem eximie talis

turunda primo in atonia evacuati uteri, si is liber fuerit a secundinis, & a grumis sanguinis, ubi quoque tinctura cinnamomi laudes promeruit, & ubi plurimum conducit frictio præprimis abdominis; prodest secundo, si corpus quoddam contractionem uteri prohibens in eodem resideat, quodve modo eximi renuit; tertio in hæmorrhagia traumatica uteri; demum in hæmorrhagia a placenta prævia, ubi vix quidquam proderit cohibendæ ad tempus saltem hæmorrhagiæ, quam ejusmodi intrusa turunda.

§. LXII.

Quæ de hæmorrhagiis post partum accedentibus mox notaveram, lochia etiam spectare quisque noverit, siquidem ea peccaverint excessu; id autem non a copia, aut duratione effluentis sanguinis, sed a virium dejectione, animi deliquio, sanguine grumoso effluente, fastidio cibi, dolore in hypochondriis, ventris tensione, pulsu debili, & frequentiori, visus obtenebratione, aurium tinnitu, & convul-

vulsionibus innotescet, teste Sydenhamo (rr).

Causam in fibrarum uterinarum tono amisso, vel contractione uteri impedita ob grumos sanguinis, vel frustula placentæ in utero relicta, aut læsionem uteri agnoscit.

Cura jam ex dictis in præcedenti paragrapho facile patet; cæterum cucurbitas siccas mammis, lumbis, imo & ventri applicatas, extractionem corporum hæterogeneorum, adstringentia in - & externe, narcotica, dietam nutrientem, fascias pro firmando abdomine circumductas laudat Cl. Home (ss).

§. LXIII.

Percelebris in effœtis morbus hæmorrhagia uterina celebratur; sensim cessant menstrua, sunt inordinata, aliquando ultimis temporibus copiosissima sunt, sine graviore tamen symptomate; mox pro semper evanescentia,

N 5 in-

(rr) Process. integr. in morb. omnib. curand.
p. 670.

(ss) Princ. Med. sect. 13. p. 319.

interdum exleges redeunt menses, mox majus, minus modo tempus intercalare servando, donec propemodum emanent; verum licet incipiant in his catamenia supprimi, sæpe nulla per quadrantem anni, per dimidium, imo & annum integrum eorum molimina observentur, mox tamen unico impetu in hæmorrhagias incidunt vix sistendas.

Periculosa certe hæc hæmorrhagiæ species est, quæ tamen præcave-ri potest exiguis hoc tempore institutis phlebotomiis. Teste Ill. Præside (tt), atque aliis ex idæa hucusque recensitarum hæmorrhagiarum repetendis medicamentis præsens fors sisti poterit.

Hæmorrhagiæ demum quocunque tempore ortæ a cancroso ulcere in utero, aut circa eundem commorante, illis propemodum curantur, vel potius palliantur remediis, quibus ulceri ipsi solemus occurrere.

§. LXIV.

(tt) Præc. med. pract. T. II. pag. 155.

§. LXIV.

Atque his absolvi varias HÆMORRHAGIARUM species, variam illarum curam; verum hisce omnis absolutus non est Medici labor, sed & ne post-hac aliquando recurrens ægrum corripiat morbus, omnibus, quæ ars suppeditat, auxiliis est adlaborandum; quam curationem *prophylacticam* appellare solemus; id vero pro diversitate mali, pro diversitate causæ, atque partis unde accidit, partim diætæ, ac vitæ genere, partim indicatis medicamentis efficitur; vitent calefacientia, vinum, spiritum vini, aromata, iram, venærem nimiam, saltationem, & motus quoscunque vehementiores; verum & hæc pro ratione solitæ hæmorrhagiæ mensura varia; temperantiæ, & moderationi studeant in omnibus suis actionibus; atque ita ab his malis se redere poterunt immunes.

THESES.

I.

Hæmorrhagiarum, neque eadem causa, neque idem semper est remedium;

II.

Quare pessime in quavis hæmorrhagiæ specie, eadem applicatur medela.

III.

Hæmorrhagiæ in morbis criticæ, in juvenibus, in plethoricis prophylacticæ, nisi excedant, nunquam supprimendæ.

IV.

Venæ sectio celere, & utile in hæmorrhagiarum quibusdam speciebus remedium, in aliis frequenter noxium;

V.

Hinc nec Hæmoptoë semper venæ sectionem, vix unquam adstringentia petit.

VI.

Hæmorrhagia narium in juvenibus ad phthisin prædispositis frequentior ubi redierit, a phthisi præcavet :

VII.

In eadem adstringentium solutiones, pulveribus semper sunt anteponendæ.

VIII.

Hæmoptoën impedire, phthisin sæpe præcavere est.

IX.

Chronica Hæmoptoë si cortice, & balsamicis roborantibus tentetur, in phthisin plerumque abit.

X.

Vomitum cruentum, seu *morbum nigrum Hippocratis* non a vasis brevibus dilatatis adeo, quam varicibus ventriculi ruptis oriri, & ætiologia hujus vomitus, & anatomæ docent.

XI.

Diarrhæa cruenta in putridis periculosa equidem, non tamen lethalis, cum mictus cruentus hac ex causa lethalis semper fuerit observatus.

XII.

XII.

Hæmorrhagias per anum ante pubertatem pro Hæmorrhoidibus tenere non semper licet;

XIII.

Uti neque fluxum sanguinis per pudenda in Puellis ætatis teneræ pro catamenis.

XIV.

Hæmorrhoidali fluxui natura assuefacienda non est;

XV.

Siquidem Hæmorrhoides morbosum statum semper denotant;

XVI.

Quare recentes aliorum oportet determinare, nisi illarum conservationem natura aperte requirat.

XVII.

Menses nimii male semper plethoræ adscribuntur.

XVIII.

Hæmorrhagia abortientium non semper partus aut manuum, aut instrumentorum ope accelerationem petit.

XIX.

Abortivæ gravidarum primis mensibus hæmorrhagiæ diu absque tam præsentaneo periculo tollerantur.

XX.

XX.

Internæ a partu hæmorrhagiæ brevi lethales redduntur.

XXI.

Dantur hæmorrhagiæ uteri non minus, ac pulmonum, emetico curandæ.

XXII.

Adstringentia in hæmorrhagiis, nisi immediate parti vulneratæ possint applicari, utilitate, durante saltem fluxu, carent.



